MONOGRAPHIA

CIMICUM SVECIÆ.

AUCTORE

CAROL. FRED. FALLÉN,

PH. M. BOTAN. DEMONSTRAT. ORD.

ACAD. LUND.

HAFNIÆ 1807.

APUD C. G. PROFT.

LITERIS DIRECTORIS, JOH. FRID. SCHULZII,

AULAE ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

VIRIS

ILLUSTRISSIMIS NOBILISSIMIS

O. RAMEL DE SEHESTEDT

CUBICULARIO REGIS

EQU. SPLEND. ORD. DE DANNEBROG.

N. TÖNDER LUND

CONSILIARIO A STATU.

HISTORIÆ NATURALIS PER REGNUM DANORUM

PROMOTORIBUS SUMMIS

ENTOMOLOGORUM

MAECENATIBUS DIGNISSIMIS MAXIME MUNIFICIS

ÆSTIMATORIBUS JUSTISSIMIS

FAUTORIBUS OPTIMIS

PIE ET REVERENTER

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cimex Linn. ad Classem *Hemipterorum*, ore rostrove versus pectus inflexo, hemelytrisque alas obtegentibus, refertur. Abiit hæc classis methodo Ill. Fabricii in duas, quarum altera maxillis instructa, altera, nomen *Rhyngotorum* gerens, maxillis destituta, "rostro: vagina articulata" prædita est.

Numerosa Cimicum gens, novis post tempora Ill. *à Linné* detectis, valde locupletata, felicissimo ingenio et maximo studio Ill. *Fabricii* in Systemate Rhyngotorum 1803 edito revisa, per 23 Genera ibidem fuit disposita. Genera hæc omnia semper rostro articulato, versus pectus inflexo, et frequentissime elytris duobus apice membranaceo super imposito, inter se congruunt. (*a*) Species, in dicto opere

(*a*) Elytra Hemipterorum ab elytris Coleopterorum sunt diversa, etenim et ad substantiam semicoriacea, unde *Hemelytra* dicta, et ad structuram composita videntur. Utrumque scilicet hemelytron longitudinaliter - oblique flecti potest, et in duas separari partes, in ipsa flexura intime cohærentes, acu tamen facile divellendas. Pars elytri interior exteriori brevior et angustior; exterior autem postice latior in Cimicibus membrana terminatur; et *membrana apicis elytrorum*, vel breviter, et ubi sermo est de elytris, unico vocabulo *membrana* appellatur. —

omnibus his generibus insertæ, numerum 780 superant, *Familiam* s. *Ordinem naturalem* in Entomologia jure constituentes. Tanta est copia, novis detegendis posthac iterum sæpiusque augenda!

Vita Cimicum atque in ceteris hemipteris fere eadem. Explicatur scilicet ab ovo larva hexapoda, imagini aliquatenus similis; at aptera. Elytris alisque explicatis *Imago* s. *Insectum completum* oritur. Ante hoc tempus in statu *larvæ* degunt, nisi a tempore, quo rudimentum elytrorum incipitur, statum *pupæ* diceres. Hæc insecta, pro more congenerum, tunicas deponere verisimile est; nullas tamen, nec in pluribus speciebus frequenter obviis unquam observare mihi licuit, præter exuvias *Lygæi nemorum* in Humulo lupulo semel inventas. — Instat tempus *copulationis* sæpius et quidem sæpissime non prius, quam Insectum perfecte est declaratum. In Cimicibus tamen hujus rei plures forsitan dantur exceptiones, quam in quocunque alio Genere insectorum alatorum. Quasdam species apteras semper permanere creditur. In aliis sexus alteruter alatus, ex. gr. mas *Capsi ambulantis*, quem in copula cum femina aptera semper reperi. In aliis observatur copula ante elytrorum explicationem; ex. gr. in *Coreo miriformi*, quem præterea copulatum invenies post declarationem perfectam, vel alte-

Elytra Cicadarum eodem modo flecti et separari possunt, at membrana apicis deest. Ceterum observandum est, elytra hujus classis integra, vel eorum membranam, in Scriptis Auctorum olim *alas* salutari; quod tamen, ne in errorem inducat, evitari oportet.

rius, vel utriusque sexus. (*b*) — *Ova* loco pro victu et defensione idoneo committunt. Plerosque eorum sub cortice arborum emortuarum, vel ad radices plantarum, vel in floribus progeniem abscondere, verisimillimum est. — *Alimentum* e succo vegetabilium rostro hauriunt. Insecta alia tamen non respuunt. Nam cognitum est, majores Cimicum species ipsam *Acanthiam lectulariam* sangvisugam persequi. Præterea quædam Cimicum genera vitam alia insecta sugendo sustentare, jure opinor. — Varias quoque Species (sin omnes) et larvarum instar et imaginum, sub cortice arborum, sub lapidibus etc. hibernare, sæpius observavi.

Omnes et singulas Cimicum species, a Genere *Acanthiæ* usque ad *Reduvium*, contactu odorem prodere specificum, magis vel minus foetidum (in *Lyg. pastinacæ* fere gratum) mirum videbitur. Affinitatem, quæ inter illas intercedit, maximam hæc qualitas ab homogeneo quodam alimenti genere minus apte, quam a structura vasorum conformi explicanda, facile comprobat.

Rostrum, instrumenta cibaria continens, vagina tri-vel quadri-articulata instructum, tres includit setas, ope quarum haustio succorum peragitur. In plerisque Generibus versus pectus sub capite arcte inflectitur; in *Reduvio* autem, et in quibusdam *Gerris* speciebus arcuatum, ad pectus tantum apice inclinatur. — A diversa hujus rostri antenna-

---

(*b*) Hæ et aliæ ejusmodi observationes infra quoque commemorabuntur.

rumque structura, ratione insertionis, articulationis etc. *Characteres Generum* hujus Ordinis desumsit ill. Fabricius. Horum autem constantiam, i. e. quatenus omnibus ejusdem generis Speciebus sunt communes, investigare atque examinare, difficilis sane erit labor, nec unquam perficietur. Nihilo tamen minus, si alia quadam via procedere fas est, non prorsus impossibile nec forte supervacaneum judicabitur, nova illa Cimicum Genera determinare methodo scilicet Tironibus convenientiori, quæ quidem, a quocunque Systematico usui systematis et fini consulente est exspectanda. — Sive enim structuram vel totius corporis vel ejus partium, sive ipsum vivendi modum conspexeris, species easque non paucas videbis inter se similes; quo respectu sub eodem Genere militare debent. Nec est negandum, quin ejusmodi in Generibus Ill. Fabricii exstent plura, quæ in Ordine Cimicum *naturalia* salutari possint. Sic *Aradus* et *Tingis* Fab. *Salda* et *Miris*, prouti a me proponuntur, cetera ut taceam, facile ab ipsis tironibus dignoscuntur. — Exempla notarum, huic usui inservientium, infra dedi; eas autem, quamdiu plures species, inprimis exoticæ, mihi nondum sunt cognitæ, nec inter se comparatæ, ad disciplinæ præcepta proponere nolui.

Pro certo equidem scio, quasdam esse species, uni eidemque Generi insertas, quæ structura a ceteris ita discrepant, ut novis generibus et nondum factis admittendæ videantur. Hæ tamen species ejusmodi sunt, quæ *notis* Generis, in quo collocatæ sunt, allegatis, facile dignoscantur. Præterea nova non prius condenda sunt Genera, quam ve-

tera, propter detectorum multitudinem non sufficiant ad cognitionem rei objectæ, quæ in Systemate locum obtinere debet; etenim nimis numerosa genera non aliter ac nimis pauca Scientiam gravabunt.

Species Cimicum Sveciæ *errantes*, i e. e structura Generis genuina aliquantulum recedentes, novis tamen generibus vix mandandæ, sequentes sunt:

1. *Salda* grylloides Fabr. - - *Lygæus* grylloides mihi.
2. *Salda* sylvestris Fabr. et affines - *Lygæus* Fam. 1. Sect. 3.
3. - - - - - - - - - *Salda* coleoptrata.
4. *Cimex* umbrinus Wolff. - *Cydnus* (Generi tamen proprio præ ceteris mandandus)
5. *Coreus* magnicornis et seq. Fabr. - *Coreus* Sect. 2.
6. *Lygæus* Fabr. antennis elongat. - *Lygæus* Fam. 2.
7. - - - - - - - - - - - *Lygæus* pusillus.
8. *Hydrometra* stagnorum Fabr. - *Gerris* stagnorum; ceteras in Gerris genere ut omittam, ab ill. Fabricio ad nova genera jamdiu relatas.

Præter has, quibus in Specierum serie, uti opinor, faciliorem et aptiorem indicavi locum, aliæ quoque sunt species Fabr. quas eandem ob caussam ad alia genera transferre haud hæsitavi. In his sunt *Cydnus perlatus*, *Cimex bicolor*, *Lygæus hyoschyami*, *Miris striatus* etc., illas autem omnes in fine generis, a quo sejunctæ sunt, nominavi.

Determinatio Speciei non æque facilis judicabitur, præsertim in Generibus, ubi numerosa specierum adest copia, et in Cimicibus præterea impedimur partim *mollitie*, ob quam

corpus exsiccatum sæpe corrugatur et transfiguratur; partim *mutatione* coloris, a quo differentiæ non raro desumi solent. Hinc errores exsistunt vix evitabiles, inprimis ubi notæ a speciminibus in Collectione diu asservatis quærendæ sunt. Neque hinc omnis molestia. Utrumque sexum, ut Species plane determinetur, cognoscamus oportet. Horum enim alteruter differentias exhibere potest, quæ, ut hoc utar exemplo, a colore vel a defectu alarum solummodo petitæ, occasionem plures creandi species, quam ipse creavit Omnium Auctor, facile suppeditabunt; nec dubitandum, quin ejusmodi eæque plures in scriptis Systematicorum enumerentur, quæ e serie specierum omnino delendæ sint. Exempla in *Monographia Cicadarum Sveciæ* adsunt, nec in aliis Generibus desunt.

Hæc impedimenta superari posse autumo:

1) Insectum vivum describendo, et mutationem coloris, si qua adfuerit, in exsiccato fideliter adnotando.

2) Specimina non pauca et plurima ejusdem Speciei capiendo, unde *utrumque sexum*, et *varietates* citius observare licet.

3) Species in copula deprehensas ad eandem acum adfigendo.

4) Metamorphosin, vitæ genus, vestitum etc. sedulo observando.

5) Notas, si res ita tulerit, alias quam a colore tantum desumtas, conjunctim adhibendo,

6) Sectiones et ſubdiviſiones in Genere numeroſiore adcurate formando.

7) Synonymiam rite applicando. (c)

(c) Systemata Auctorum et Opera Ichnographica huic usui inserviunt. — Varia et plurima sunt opera illa sumtuosa et elegantissima, quæ insecta repræsentant. Perfectiora tamen putarem, si, principiis Scientiæ imbuti, notas Insecta discernentes noverint ipsi graphices magistri. Neque enim satis erit, delineationem totius respectu peripheriæ et coloris vel picturæ adcurate fecisse, sed etiam situm, proportionem numerumque partium recte et diligenter observasse magni interest. — Numerum quoque, si insecta, qualia ostendit natura, et quorum notas et prædicata dabit Systema, conspexeris, sæpius neglectum fuisse, nemo facile negabit. Sic laborat excessu vel defectu numerus segmentorum abdominis, et articulorum antennarum (forsitan mutua quoque eorum proportio); idemque est vitium in numero sulcorum, striarum (ex. gr. in elytris) carinarum etc. (in thorace et alibi) et nervorum (in eorumque directione in alis Dipterorum etc., quæ secundum methodum D. *Meigen* minime est contemnenda). Sic in Opere maxime laudato Tenthredinum species, segmentis 7, 8, 9, 10 abdominis, promiscue et quasi pro lubitu, delineatæ sunt. Hoc tamen Insectorum Genus, cujus vel 60 species svecanas examinavi, segmentis non nisi octo constat, quorum saltim duo analia, vaginantia, plerumque sunt abscondita. — Notas e numero desumtas præstantiam habere, et singulas notas, qualescunque sint, sive Genus sive Speciem discernant, si in figura præ ceteris magis distincte non exprimantur, minime tamen negligendas esse, facile est intellectu. Ceterum jamdiu cognitum est, articulationem antennarum in Charactere Generis introductam fuisse; e segmentorum quoque numero

His omnibus observatis certior evadat determinatio, necesse est. *Differentiam* præterea non aliter, ac præcepta Scientiæ postulant, esse proponendam, facile intelligitur. Materiam vero hanc fusius persequi, alio loco et tempore studebo. Iam restat breviter exponere, qua via et ratione in Cimicibus tractandis ipse processerim.

Non omnes Species indagare viventes, nec singulas æque copiose colligere, nec specimina utriusque sexus semper invenire, in potestate fuit. In his enim opus est non paucorum auxilio. — Quas vero species, easque non paucas, viventes observare et describere mihi contigit, omnes scilicet, quas frequenter obvias indicavi, vel ubi nulla fit mentio de insecto exsiccato, et ab alio Inventore mihi misso, a descriptionibus et adjectis notatis facile conjicitur. Etjam exinde dijudicabitur descriptio insecti *viventis* frequenter vel minus frequenter obvii, et *exsiccati*. Insecti vivi et frequenter obvii descriptio certissima, minus frequenter obvii certior exsiccati. Attamen ex eo non intelligi volo, descriptionem speciei, cujus specimina pauca adfuerint, vel exsiccata, falsam omnio fore; nihilque determinantem; sed notas, ab individuis iisque quam plurimis (inprimis nuper captis) desumtas ad certam cognitionem propius

vel Genera vel Ordines discerni posse, verisimiliter autumo; quod tamen (in pertractandis generibus Species Sveciæ numerosiores continentibus) explorare vel ipse incipiam, vel alii peritiores exploratum perficient.

ccedere contendo. Neque enim obstat, quominus notæ a aucioribus et exsiccatis petitæ, æque stabiles permaneant, isi observata in posterum aliter svaserint. — Omnes spe-ies in copula inventas ad eandem adfigendo acum, diffe-entiam sexus detegendi ansa mihi data fuit. Hæc differen-a in Generibus *Lygæi*, *Capsi* et *Miris* mox observatur; uoniam femina, similiter atque in Cicadis, vaginam ensi-ormem, sub ano in rima longitudinali positam, ostendit; as autem ejusmodi vagina caret. In ceteris Cimicum Ge-eribus structura genitalium externa non æque bene dete-itur; attamen in ultimo abdominis segmento, rima plerum-ue, etsi brevior et minus distincta, conspicitur. Iuvat ræterea, inprimisque ubi non nisi specimina non copulata bveniunt, plura individua introspicere et inter se compa-re, majora et minora, in quibus adesse utrumque sexum onere licet. — Vaginam hanc ab ovario productam esse, ad ova deponenda constructam, nec aperturam alteram on communem) supra genitalia sitam, pro excretione de-se, qualem in Cicadis oculus non armatus sæpe detegit, re affirmatur.

Differentia specifica, notas speciem a specie discernen-s enumerans, varium in modum proponitur, et mutatio-m propter nova inventa novasque observationes sæpe pa-ur. Nec aliter, quamdiu non omnes cognitæ sunt spe-s. Exemplo erit *Salda pallicornis* Fabr. (*Cicada aptera* nn. *Lygæus pallicornis* mihi) cujus nota, a defectu alarum

desumta, nihil valet, quia insectum perfecte alatum et ex plicatum aliquando occurrit. Sic *Reduvium apterum* Fabr alatum quoque vidi. Notæ etjam a colore tantum desum tæ species sæpe confundunt, et in Cimicum ordine, præ sertim inter *Arados* et *Lygæos* plures, ad discernendum no valent. In subsidium igitur ut vocemus, e re nobis est figuram, impressiones, arma et pilos vel eorum defectu etc. — His ductus rationibus plerasque specierum *differen tias* renovare et aliter construere, coactus fui. Si quis i his et in descriptionibus, putat me justo longiorem, scia plures adesse denominationes, quarum ope characterem speciei constantiorem elicere conatus sum, neque anim intendi absolutam totius omniumque partium descriptionem quæ in dispositione systematica vel superflua vel inutil jure censetur, sed perspicuitatem, ut certum sit de nomi inquirenti alicujus insecti, quod vel a pluribus speciebu maxime affinibus jam circumdatur, vel in posterum circum dari potest.

Ex hisce jam allatis liquet et excusabitur, compara tionem inter insectum et differentiam Auctorum specifi cam instituendo, non semper præcise dicere me potuiss quodnam antea nominatum fuerit nec ne. Raro tame hæsitavi, et, quod impense mihi gratulari possum, acc dit, ut Collectionem Insectorum vastissimam, Hafniæ o time conservatam, Nob. Cubicularii Regis Danorum *Schestedt*, et Nob. a Statu Consiliarii D. *N. T. L*

consulere mihi licitum fuerit. Nec minoris est pretii, qui mihi contigit accessus, ad Nob. a Vigiliis Præfectum D. *L. Gyllenhal*, cui, nomine et meo et Rei entomologicæ, tanta, quanta debentur, dicere vellem lætus gratusque. Nam placuit Ei, ut antea sæpius, pro sua in me benevolentia, et pro suo in Re Critica judicio versatissimo et optime cognito, non tantum varia consilia et exempla, Synonymiam illustrantia, et e scriptis desideratis D. Wolffii, Geoffroyi aliorumque desumta, suppeditare, verum etjam, plures species antea incognitas, ex sua Collectione maxima et Specierum Svecan. facile ditissima, describendi gratia mecum communicare, et descriptas dono dare. Neque satis. Novem quoque species Sveciæ rariores, et quarum specimina modo unica adfuerunt, ad me misit, nec antea visas mihi lustrandas tradidit. — Nomina trivialia, his omnibus ab Entomologo illo laudatissimo imposita, libenter et juste retinui.

Ceterum ipse cepi plerasque species, et in his non nisi pauciores in aliis Sveciæ provinciis, quæ in Scaniæ villa *Esperoed* prope *Stenshufvud* non deprehensæ sunt; nec dubito, quin studio aliorum et industria numerus exaugeatur. Capiuntur vel *excipulo,* in gramine vibrando, eodem fere modo, quo messores falcem movent, vel *forfice*, vel digitis. Quædam investigantur quoque sub cortice arborum emortuarum, vel ad radices graminum etc. Aliæ in ripis et littoribus versantur, aliæ in Umbellatis

aliisque in plantis hospitantur, et in Urtica dioica, ubi vel 30 diversæ species capi possunt, gregatim convenire videntur. Affiguntur ad acum in margine *dextri elytri,* non in *thorace* nec in *scutello,* ne notæ ab his partibus desumendæ lædantur. Plurimæ species mense Augusto et Septembri apparent. Svetice ob odorem *Stinkfly* appellari possunt.

Dabam Lundæ D. 13 Jan. 1807.

CONSPECTUS CIMICUM SVECIÆ.

Not. F. denotat Fabricii Syst. Rhyngot.
L. — Linnei Fauna Svec. vel. Syst. Nat.
DG — De Geer Ins.
Pz — Panzer Faun. Germ.
♂♀ — sexum, in hac monographia descriptum.

ACANTHIA

1. lectularia F. L.

SALDA

1. littoralis L. zosteræ F. ♂♀
2 saltatoria ♂♀ L. littoralis F.
var. β pallipes ♂♀ F.
3 pilosa ♂♀
4 lateralis ♂♀
5 elegantula ♂♀
6 marginalis ♀
7 coleoptrata.

— grylloides F. L. . . . . . . }
— sylvestris F. nemorum L. et affines } in *Lygæo*.
— pallicornis F. *Cicada* aptera L. }

ARADUS.

1 betulinus ♂♀ betulæ F.
2 corticalis ♂♀ F. *Acanthia* Wolff.
3 betulæ ♂♀ L. DG. non F.
4 brevicollis
5 erosus
6 varius ♂♀ F.
7 depressus ♂♀ F. Wolff.
8 lugubris
9 lævis F.

— rugosus L. F. desideratur.

TINGIS

1) *Thorace carinato.*

a) *antennis nudis.*

1 costata ♂♀ F. Pz.
2 cardui ♂♀ F. L. DG.
3 humuli ♂♀, F.
4 nigrina ♀
5 parvula ♀
5 cassidea ♂
7 pusilla

b) *antennis pilosis.*

8 crassicornis ♂♀
9 spinifrons ♂♀
10 foliacea ♂
11 pyri ♀ F.

2) *Thorace mutico.*

12 capitata ♂♀ Wolff.
23 læta ♂♀

— alata F. . . . . . } desid.
— clavicornis L. F. }

TETYRA

1 maura ♀ L. F.
2 fuliginosa ♂ F. L.
3 scarabæoides ♂♀ L. F.

CIMEX

1) *Thorace utrinque spinoso.*

1 bidens ♂♀ L. F.
2 bispinus ♀ Pz. Wolff. ferrugator F.
3 hæmorrhoidalis ♂♀ L. F.
4 lituratus ♂♀ L. Wolff. dentatus DG.
var. β. collaris F.
5 agathinus ♂♀ griseus L. betulæ DG.
var β. interstinctus L.
6 punctatus ♂♀ L. F. DG.
7 rufipes ♂♀ L. F. DG.
8 luridus ♀ F.
9 nigricornis ♂♀ F. purpureipennis DG.

2) *Thorace mutico.*

10 dumosus ♀ L. F.
11 prasinus L. F.
12 juniperinus L. F. ♂♀
13 baccarum ♂♀ L. F.
14 vernalis ♂ Wolff.
15 ornatus ♀ L. F.
16 oleraceus ♂♀ L. F.
17 cæruleus ♂♀ L. F.
18 perlatus ♂ Wolff. *Cydnus* F. griseus nigro punctatus DG.

— morio L. . . . .
— bicolor L. F. . .
— biguttatus L. F.
— umbrinus Wolff.
} in *Cydno.*

AELIA

1. acuminata ♂♀ L. F. DG.

CYDNUS

1) *Thoracis margine attenuato, exserto.*

1 marginatus ♂♀ L. F.
2 quadratus ♀ F.
3 spinipes ♀
4 nubilus ♀

2) *Thoracis margine obtuso, non exserto. (Lygæiformes)*

5 crassicornis ♂♀ L. F.
6 capitatus ♂♀ F. Wolff.
7 magnicornis ♂♀ an F? it. clavicornis F?
8 miriformis ♂♀
9 hyoscyami ♂♀ L. *Lygæus* F.
10 equestris ♂♀ L. *Lygæus* F.

LYGAEUS

Fam. 1. *Antennis versus apicem subcrassioribus.*

a) *Capite dilatato, oculis scil. valde exsertis (thorace immarginato)*

1 grylloides ♂♀ L. *Salda* F.
2 urticæ ♂♀ F.
3 thymi ♂♀ Wolff.
4 claviculus ♂♀

b) *Capite angustato, fronte brevi subacuta (thorace sæpius marginato)*

5 pini ♂♀ L. F.
var. β. lynceus F.
6 nubilus ♂♀
7 nebulosus ♂♀ var. β.

8 agrestis ♂♀

9 chiragra ♂♀ an F? it. var. β ♀

10 sylvaticus ♂♀ F.

11 plebejus ♂ sylvestris F?

12 erraticus ♀ F.

13 Rolandri ♂ L. F.

14 abietis ♂♀ *Capsus* F. *Cimex* ferrugineus Linn. Syst.

var. β. ♂♀ *Miris* abietis F. *Cimex* abietis Linn.

15 sylvestris ♂♀ L.

16 podagricus ♂♀ an F?

17 rusticus ♂♀ it. var β. an Spec. propr.?

18 pedestris ♂♀

19 pusillus ♀

c) *Capite angustato, fronte producta, truncata (minuti, planiusculi.)*

20 nemorum ♂♀ Linn. *Salda* sylvestris F.

var. β. ♂♀ *Lygæus* fasciatus ♂♀ F.

— γ. *Salda* nemoralis F.

— δ. *Lygæus* austriacus F. *Cimex* gallarum ulmi DG.

— ε. *Salda* pratensis. F.

— it. *Salda* serratulæ et campestris F. varietates hujus speciei.

21 pygmæus ♀

22 minutus ♀ L.

23 exilis ♂♀

24 cursitans ♂

Fam. 2) *Antennis elongatis versus apicem attenuatis.*

a) *Elytris virescentibus (majores)*

25 chenopodii ♂♀ var. α, β, it. var. γ. 4 punctatus F.

26 2 punctatus ♂♀ F. it. var. β.

27 2. notatus ♂♀ F.
28 pabulinus ♂♀ L. *Miris* F.
29 contaminatus ♂♀
30 rugicollis ♂♀
31 nassatus ♂♀ F.
32 angulatus ♀
33 chlorizans ♂♀ Pz.
34 seladonicus ♂♀
35 molliculus ♂♀
36 tanaceti ♂♀

b) *Elytris variegatis.*

1) *Majores.*

37 striatus ♂♀ L. *Miris* F.
38 striatellus ♂♀ F.
39 Populi ♂♀ L. F.
40 Tiliæ ♂♀ F.
41 tunicatus ♂♀ F.
42 ferrugatus ♂♀ F. roseo-maculatus DG. it. *Lyg.* campestris F. forte.
43 6. guttatus ♂♀ F.
44 semiflavus ♂♀ *Miris* Wolff. *Capsus* unifasciatus F.

var. *β.* ♀ *γ* ♀

45 thoracicus ♂♀
46 fulvo-maculatus ♂♀ DG. it. var. *β.* ♀, var. *γ.* ♀.
47 ulmi ♂♀ *Miris* F. *Mir.* longicornis Wolff.
48 revestitus ♂♀ melanocephalus L. *Miris* pallens F.
49 Coryli ♂♀ L. F.
50 pratensis ♂♀ L. F. it var. *β.* ♂♀
51 campestris ♂♀ L. non F.
52 rufipennis ♂♀
53 rubicundus ♂♀
54 limbatus ♂
55 viridis ♂♀

2) *Minores.*

56 flavovarius ♂♀ *Capsus* F. (forte Cimex Kalmii Linn. Fn.) an varietas sequentis?

57 pastinacæ ♂♀ an *Lyg.* transversalis F?

58 punctulatus ♂

59 tripustulatus ♂♀ F.

60 nigrita ♂♀

61 Gyllenhalii ♂♀

62 variabilis ♂♀ it var. β. γ.

63 mutabilis ♂ Linn.

64 ambiguus ♂♀

65 roseus ♂♀ F.

66 sangvineus ♂♀ F. it. var.

67 tenellus ♂♀

68 arbustorum ♂♀ F. it. var. β. ♀

69 viridulus ♂♀ an *Miris* Chrysanthemi Wolff?

70 rubicatus ♂♀

71 ericetorum ♂♀

72 Thunbergii ♂♀

73 Paykullii ♂♀

74 filicis ♂♀ L. *Acanthia* Wolff.

c) *Antennarum articulo secundo apice subincrassato. (statura antecedentium)*

75 danicus ♀ *Capsus* F.

76 gothicus ♂♀

d) *Corpore obtuso, subquadrato. (Capite dilatato. Capsiformes.)*

77 leucocephalus ♂♀ L. F.

78 luridus ♀

79 pinastri ♂♀

80 pallicornis ♂♀ *Salda* F. *Cicada* aptera L. var. alata et aptera.

81 pulicarius ♂♀

82 saltitans ♂♀

— equestris L. F. } in *Coreo.*
— hyoscyami L. F. }

CAPSUS

1) *Corpore oblongo - ovato (alati).*

1 ater ♂♀ L. F. it var. β. ♀ semiflavus L. flavicollis F. it. var. β. ♂.
2 albo-marginatus ♂♀ F.
3 gothicus ♂♀ L. F.
4 mutabilis ♂♀
5 bifasciatus ♂♀ F. clavatus Linn. Syst.
6 4 maculatus ♂
7 magnicornis ♂♀

2) *Corpore elongato angustato (alati)*

8 flavo-maculatus ♂♀ F. DG.
9 agilis ♂♀ F. histrionicus L.
10 umbratilis ♂♀ F. non L.
11 triguttatus ♂ L.
12 virens ♂
13 bilineatus ♂♀
14 caricis ♂♀
15 decolor ♂♀
16 roseus ♂♀
17 collaris ♂♀

3) *Subapteri.*

18 ambulans ♂♀ it. var. β. ♂
19 rufifrons ♀
20 pteridis ♂♀

— abietis F. . . . . }
— unifasciatus F. *Lyg.* semiflavus Wolff. } in *Lygæo.*
— flavovarius F. . . . . }

ALYDUS

1 calcaratus ♂ L. F.

MIRIS

1 dolabratus ♂♀ L. lateralis F. Wolff. ♂ abbreviatus Wolff ♀
2 ferrugatus ♂♀ dolabratus F?
3 longicornis ♂♀
4 laevigatus L. F. DG. it. var. β ♂. γ ♀, δ♀.
5 calcaratus ♂♀ virens F. L. ♀ hujus speciei.
6 erraticus L. ♂♀ hortorum Wolff.
7 holsatus ♂♀ F.
8 ruficornis ♂♀
9 ferus ♂♀ L. F.
var. β vagans ♂♀ F. junior, nec perfecte explicata.

— abietis F. . . . .
— pabulinus F. . . . . . .
— striatus F. . . . .
— pallens F. *Lyg.* revestitus mihi
— ulmi F. . . . .
— semiflavus W. . . . . . .
— longicornis W. . . . . .

} in *Lygaeo.*

GERRIS

1 lacustris L. *Hydrometra* F.
2 currens *Hydrometra* F.
3 denticollis.
4 stagnorum L. *Hydrometra* F.
5 vagabundus. L. *Gerris* F.
6 erraticus.
7 tipularius. *Berytus* F.
8 clavipes. *Berytus* F.

REDUVIUS

1 personatus ♂ L. F.
2 annulatus ♀ L. F.
3 subapterus ♂♀ DG. apterus F. it. var. alata.

Nota. Summa Specierum Cimicum, in hac Monographia descriptarum = 190; e quibus in Systemate Rhyngotorum Fabr. (varietates ut omittam) nominantur 100;
et in Scriptis aliorum 12;
Ego plerisque novas differentias et descriptiones addere conatus, novas introduxi Sveciæ species . . . . 78.

Quæ in Fauna Sv. Linn. 1761 edita descriptæ sunt Species 66, inter supra allatas quoque recensentur; excipiantur tamen sequentes mihi ignotæ:

1. *Cimex* rugosus, jam *Aradus* Fab.
2. — ruber L. Fn.
3. — clavicornis jam *Tingis* Fab. Rhyng. et *Acanthia* Panz. forte;

at descriptio, quam dedit Ill. à Linné, pluribus post Ejus tempora detectis speciebus conveniens videtur. Confer quæ in Genere *Tingis* infra dicuntur.

Cimex Linn. interstinctus, Kalmii, umbratilis, et arenarius, varietates aliarum Specierum descriptarum verisimiliter esse existimantur.

Tingis alata Fabr. in Svecia habitare fertur. cfr. Syst. Rhyng.

Salda atra Fabr. in Finlandia inventa dicitur. Has Species, a me non visas, in serie Specierum collocare non potui. — Præterea in Collectione mea desiderantur: *Arad.* brevicollis, erosus, lævis F. *Cimex* bispinus Pz. luridus F. ornatus L. F. *Coreus* quadratus F. *Capsus* danicus F. et *Gerris* denticollis; itemque alter sexus earum specierum, quarum nomina vel ex Conspectu antecedente, vel ex ipsis descriptionibus innotescunt. Hæc desiderata possidere in votis est, et par pari referre gratissimum erit.

Termini observandi.

Pedes antici } anteriores.
intermedii }
postici } posteriores.

Membrana apex elytrorum membranaceus.

Impressiones sunt sulci, striæ, foveolæ, puncta impressa etc. Hinc *impresso-punctatus*, punctis distinctis, et *punctulatus* punctis densis, parum conspicuis, instructus.

Incisuræ margines segmentorum abdominis.

Mas et *Fem.* præponitur, ubi uterque sexus in Specie describenda adfuerit.

Differentia sexus notas conspicuas, inprimis a structura ani externa desumtas, indicat.

Status larvæ, structuram, habitationem, victum et metamorphosin complectitur.

MONOGRAPHIA CIMICUM SVECIÆ.

ACANTHIA.

Rostrum inflexum clypei apici insertum. *Labium* nullum. *Antennæ* 4-articulatæ ante oculos insertæ. *Fabr.* Syst. Rhyng.

1. A. lectularia corpore aptero ferrugineo. Fabr. Rhyng. 112. Ent. syst. 4. 67. 1.

Cimex lectularius Linn. Fn. Sv. 909. De Geer Ins. 3. t. 17. f. 9.

Not. Hæc Species, svetice *vægglus*, in Scania *Skækta* dicta, in domibus maxime molesta, nec apud nos extra domos visa, nisi in silva, una cum verspertilionibus, semel a D. D. Ödmann inventa fuit. v. Acta Holm. 1789. — In parte Scaniæ meridionali nondum apparuit. — Hoc insectum Europæum non esse, in regiones autem quasdam Europæ ad initium nostræ AEræ advenisse, fertur, in Anglia 1670 primum visum. Varia sunt remedia, ancipiti successu adhibita; vix tamen sine munditie accurate observata quidquam efficitur. Virgulis *Pruni padi* vegetis, in parietibus positis, depelli posse, et a punctione, emplastro e Sperma Ceti facto corpori imposito, abstineri, perhibitum est. Magis notabile id, quod a D. D. Kühn (v. *Naturforscher* St. 6. Halle.) narratur. Individua scilicet 6 vel 8 *Cimicis bidentis* in conclave immissa, ibidemque aliquot hebdomadas retenta, omnem Acanthiæ turbam, et quotquot fuerint, necarunt. *Reduvius personatus, Cimex rufipes* et aliæ species majores nec minus freqnenter obviæ huic quoque usui inservient.

SALDA.

Rostrum capitis apici insertum. *Labium* corneum, fornicatum, rotundatum, integrum. *Antennæ* filiformes, 4-articulatæ, ad basin rostri insertæ. *Fabr.*

Corpus ovatum, crassiusculum subpilosum. *Caput* abdomine angustius, *oculis* valde exsertis. *Thorax* muticus. *Elytra* convexa, obtegentia. *Pedes* simplices, tenues, *tibiis* subspinosis.

Obs. Species sequentes, et structura et vivendi ratione similes, *Genus naturale* constituunt. *Differentia sexus* (in exsiccatis) non facile discernitur, quia genitalia feminæ longe aliter ac in *Lygæo* constructa sunt. Hospitantur ad aquas et in locis humidis, aliis insectis verisimiliter victitantes.

1. S. littoralis nigra, elytris coriaceis convexioribus, in medio longitudinaliter alboguttatis; alis abbreviatis.

Cimex littoralis Linn. Fn. 915. De Geer Ins. 3. 278. 21. tab. 14 fig. 17.

Acanthia zosteræ Fabr. Ent. syst. 4. 68. 2. *Salda* Rhyng. 113. 1.

Mas et Fem. similes. *Corpus* orbiculato-ovale sordide nigrum. *Antennæ* pilosæ. *Oculi* valde exserti. *Thorax* antice angustior, formam subtriangularem referens. *Elytra* convexa, abdomen tegentia, in medio guttis longitudinalibus, et in apice sub-membranaceo lineolis 3 vel 4 albodiaphanis notata. *Alæ* elytris breviores. *Pedes* plerumque pallidi, tibiis spinosis.

Var. β. elytris nigris immaculatis: membrana nigra coriacea; forte junior.

Habitat ad aquas ubique frequens, velocissime cursitans.

Not. *Elytra* hac in Specie, a qua Characterem Generis desumsit Ill. Fabricius, abdomine vix longiora, guttulis diaphanis in aliis distinctis, in aliis obsoletis, et in aliis (forte junioribus) omino nullis notantur. Hinc *Salda flavipes* Fabr. Rhyng. forsitan orta. *Pedes* vel nigri, vel pallidi.

2. S. saltatoria sordide nigra, elytris albo hyalino-guttatis: membrana nigro lineata, puncto in interstitiis nigro; alis completis.

Cimex saltatorius Linn. Fn. 954. *Lygæus* saltatorius Wolff. Cim. 2. 77. 74. t. 8. f. 74. Fabr. Rhyng. 239. 184. item *Salda* littoralis Fabr. Rhyng. 115. 13. *Acanthia* Ent. syst. 4. 72. 18. ubi delenda synonyma Linn. & De Geer, quæ ad speciem antecedentem pertinent. Cfr. descriptiones horum Auctorum.

Mas et Fem. Statura omnino præcedentis, at triplo minor. Tota atra; oculo armato (versus lumen solis) pilis brevissimis aureis obsita conspicitur. *Elytra* guttis sparsis hyalino-pallidis et nervis nigris notata: membrana apicis grisea, nigro-lineata, puncto interstitiorum nigro. *Alæ* nitentes, albæ, completæ. *Pedes* plerumque pallidi.

Not. Habitat passim; ad littora maris prope Kivik in Scania frequentissime; ad radices graminum in arenosis cursitans et saltitans. Differt a præcedente, magnitudine, maculis elytrorum et membrana, nec non alis.

Var. β. *Mas* et *Fem.* sordide nigra, elytris pallidis: basi punctisque marginalibus nigris.

Salda pallipes Fabr. Rhyng. 115. 12. *Acanthia* Ent. syst. 4. 71. 17.

Not. Adultior hujus Speciei videtur, et paullo major, elytris pallidioribus. Membrana similiter omnino picta, ac in var. α. — Hinc specie vix distincta. E Westrogothia mihi missa.

3. S. pilosa fusca, nitidiuscula pilosa; tibiis spinosis hirsutisque.

Capta ad ora maris Bahusiæ, in insulis *Orœust. Askeröarne* et alibi, a D. Gyllenhal.

Mas et Fem. Præcedente paullo major, *thoracis* margine magis exserto, elevato; tota distincte pilosa, pilis fuscis. *Elytra* infuscata, nitida, membrana nervosa. *Corpus*

nigricans. *Pedes* pallidi, femoribus punctatis tibiisque spinosis et hirsutis. *Alæ* albæ, completæ.

Obs. A conspeciebus jam cognitis facile diversa pilositate distinctiori totius corporis. *Color* brunneo-fuscus et nitidus; at elytra inæqualiter fusca. Macula obscurior in margine elytrorum postico in Femina observatur.

4. S. lateralis nigra nitida, elytris lævibus punctulatis: margine antice et postice hyalino-albo.

Habitat cum præcedente, a D. Gyllenhal capta et ad me missa.

Mas et Fem. Statura antecedentium minor, nigra nitida (abdominis apice et scutello oculo bene armato brevissime aureo-pilosis). *Thoracis* margo exsertus, in mare albidus. *Elytra* nigra, antice linea, postice macula hyalinoalba in margine notata: membrana subcoriacea, infuscata, puncto albo. Frontis pectorisque lamina alba. *Pedes* albidi: tibiis spinosis. *Alæ* vix ullæ. — Variat Femina elytris griseis nigro-maculatis: margine albido.

5. S. elegantula nigra, antennarum articulo ultimo elytorum margine pedibusque lutescentibus.

Habitat in Westrogothia ad paludes pratorum, tempore vernali a D. Gyllenhal inventa.

Mas et Fem. Species pulchra et distincta, statura parva priorum; at thorax angustior, margine non exserto. *Corpus* paullo pilosum, nigrum. *Antennæ* hirsutæ, articulo primo apice et ultimo ante apicem luteo. *Rostrum* luteum. *Thorax* niger nitidus. *Elytra* obscure nigra, opaca, margine laterali toto et punctis aliquot præterea hyalino-lutescentibus; ante membranam puncto albissimo notata: membrana infuscata. *Alæ* albæ. *Frons, pectus* et *abdomen* nigra immaculata. *Pedes* lutescentes, tibiis subspinosis.

6. S. marginalis sordide nigra, elytris opacis aureo-pilosis: margine et membrana lutescentibus.

Habitat in Finlandia.

FEM. Supra sordide nigra, pilis rarioribus obsita. *Elytra* opaca, non nitida, costa laterali et macula ante membranam pellucidis, luteis. *Membrana* lutescens fusco-nervosa. *Alæ* albæ. Subtus tota nigra nitida, femoribus basi et apice pallidis. *Tibiæ* pallidæ subspinosæ.

Not. Ad speciem propriam forte pertinet. S. saltatoria dimidio minor, cum qua pilositate et cum S. laterali pictura elytrorum proxime convenit. Unicum vidi specimen a. D. C. R. Sahlberg missum.

7. S. coleoptratra ferruginea, aptera, capite rufo; elytris convexis nigris sericeis; pedibus pallidis.

Capta in arena ad littora lacuum; etiam in gramine Westrogothiæ a Nob. D. Gyllenhal.

Species omnino distincta, huic Generi affinis, minuta, magnitudine grani Sinapis dimidia. *Corpus* ferrugineum, capite rufo. *Elytra* valde convexa nigra, nitida, abdomen tegentia, tomento brevi aureo obsita; membrana nulla. *Alæ* nullæ. *Pedes* et *antennæ* pallida.

Larva imagini similis, ferruginea, elytris destituta.

Salda atra nitida, thoracis linea dorsali alba. Fabr. Rhyng. 114. 4. In Finlandia prope Aboam captam esse testatur D. Sahlberg.

S. grylloides Fabr. *Cimex* Linn. Fn.
S. sylvestris Fabr. *Cimex nemorum* Linn. Fn. et affines . . . .
S. pallicornis Fabr. *Cicada aptera* Linn. Fn. . . . .
} in Genere *Lygæi* exstant.

ARADUS.

Os rostro inflexo, sub capitis apice inserto. *Labium* breve, membranaceum, setaceum. *Antennæ* cylindricæ, 4-articulatæ. *Fab.*

Species hujus generis victu et corporis structura similes genus naturale formant. *Corpus* oblongum, depresso-applanatum, (margine plerumque secto). *Thorax* carinis 6 (distinctis 4) elevatis instructus. *Caput* fronte porrecta, apice tereti; spina utrinque inter oculos et antennas armatum. *Pedes* (in nostris) simplices; at validi, tibiis muticis.

Sexus non nisi obscure in exsiccatis distingvitur: comparatione tamen detegi potest.

Vivunt intra cortices arborum, tarde se moventes.

Obs. Vario modo a congeneribus distinguuntur Aradi (inter Majores Cimices adnumerandi); antennis scilicet crassioribus, validis, 4 articulatis, corpore vix pubescente nec tibiis spinosis; vel thorace carinato, elytrorumque nervis validis, elevatis, quorum duo annulum oblongum formant. — Oeconomiam et sexus differentiam in viventibus nondum observavi.

1. A. betulinus sordide nigricans, lateribus thoracis denticulatis non diaphanis; elytris immaculatis postice coarctatis.

Aradus betulæ Fab. Rhyng. 119. 11. ubi synonyma Linn. & De Geer delenda sunt.

Habitat apud nos, a D. Gyllenhal mihi missus.

Mas et Fem. *Corpus* nigricans minime nitidum, planum. *Antennæ* crassæ, 4-articulatæ, spinæ capitis intus insertæ: articulo primo brevi, secundo ultimis longiori. *Thorax* subsexcarinatus, carinis 4 disci distinctis; margine denticulato. *Elytra* antice dilatata, postice coarctata, membrana fusco-nebulosa. *Abdomen* sub alis ferrugineum margine imbricatim secto, segmentorum angulis albis. *Pedes* obscuri, nudi.

2. A. corticalis sordide nigricans, thoracis lateribus denticulatis non diaphanis; elytris basi pallidis, postice coarctatis.

Aradus corticalis Fab. Rhyng. 119. 9. *Acanthia* Ent. syst. 4. 72. 21. Wolff. Cim. 3. 87. 81. t. 9. f. 81. *Cimex* Linn. Fn. 917.

Descriptio omnino præcedentis; at *thorax* postice in margine paullo pallescens et *elytra* basi pallidiora subdiaphana. *Antennæ* ut in specie antecedente.

3. A. betulæ sordide nigricans, thoracis lateribus denticulatis pallidis subdiaphanis; elytris griseo-fusco variis postice coarctatis.

Cimex betulæ Linn. Fn. 918. De Geer Ins. 3. 305. 36. t. 15. f. 16. 17. figura tamen nimis parva.

Mas et Fem. A præcedentibus distingvitur *antennis* longioribus, tenuioribus; *capite* magis muricato *thoracis*que margine distinctius denticulato, pallido subpellucido. *Elytra* grisea fusco-nebulosa. *Abdomen* nigricans, supra variegatum.

Var. β. Antennarum articulo tertio pallido.

Aradus annulicornis Fabr. Rhyng. 118. 7.

In musæo Gyllenhalii asservatur a me non visus.

4. A. brevicollis obscure niger, thorace brevi ante marginem depresso; lateribus elevatis subtilissime crenulatis non diaphanis.

Habitat in Westrogothia; a Nob. D. Gyllenhal inventus.

Statura conspecierum; at difficillime dignoscitur nisi thoracem brevem conspexeris; nam duplo latior est longitudine: lateribus concavis; margo anterior inæqualiter dentatus; lateralis vero elevatus et margo summus elytrorum anterior subtilissime crenulati. *Abdomen* in margine pro incisuris albo punctatum. *Elytra* et *membrana* abdomen fere tegunt. *Antennarum* articuli lineares, primus et ultimus brevis, secundus longior.

5. A. erosus obscure niger, thorace antice coarctato, lateribus non elevatis: summo margine eroso non diaphano.

Habitat in Westrogothia a Nob. D. Gyllenhal mecum communicatus. Descriptio præcedentis præter structuram *thoracis*, antice magis coarctatam: margine magis eroso. *Membrana* nigricans, pro nervis magis hyalinata.

6. A. varius subrufescens, thoracis margine laterali denticulato subdiaphano pallido; elytris rufo fuscoque variis.

Aradus varius Fabr. Rhyng. 120. 17. *Acanthia* Ent. syst. supl. 526. 26.

Mas et Fem. Facies A. betulæ, cum quo convenit structura antennarum, capitisque muricati, at differt colore. *Antennarum* articuli 3 ultimi apice pallidi. *Thoracis* margo pallidus, pellucidior. *Elytra* pallidiora fusco et rufo irrorata vel nebulosa, nervis rufis. *Abdomen* subrufescens fusco - variegatum, *pedibus* concoloribus. *Feminæ* elytra postice magis angustata, quam in Mare.

7. A. depressus subrufescens, thoracis margine inermi: antice macula elytrorumque basi albis.

radus depressus Fabr. Rhyng. 119. 10. *Acanthia* Ent. syst. 4. 72. 22. Wolff. Cim 4. 129. 123. t. 13. f. 123.

Mas et Fem. Præcedente minor et distinctus. *Caput* et *thorax* sordide nigra. *Antennarum* articuli subæquales, ultimus apice albus. *Thoracis* margo antice macula alba diaphana notatus. *Elytra* antice margine dilatato albo diaphano, postice fusco-varia; membrana nebulosa. *Abdomen* totum plerumque rufum.

Not. Habitat passim, in Scaniæ villa Esperoed mihi obvius, et excipulo e gramine captus. — Annulus elevatus elytrorum Fabr. e duobus nervis adnexis constat, et pluribus speciebus communis est nota.

8. A. lugubris niger opacus, thoracis margine inermi; elytris nigro-nervosis abdomen æquantibus.

A Nob. D. Gyllenhal e Westrogothia, et a D. Sahlberg e Finlandia missus.

Statura et magnitudo præcedentis colore opaco nigro; membrana elytrornm fusco-grisea. Segmenta singula 6 utrinqne pro incisuris albo-punctata. *Thorax* margine non denticulato nec diaphano, carinis ordinariis instructus. *Scutellum* triangulare, margine utrinque (ut

sæpius in conspeciebus) elevato. *Elytra* subopaca, nigro-nervosa, abdominis longitudine. *Alæ* metallice nitentes. *Pedes* nigri, femoribus æqualibus.

9. A. lævis niger, abdomine brunneo; thoracis antico lateribusque truncatis, muticis.

Aradus lævis Fabr. Rhyng. 119. 12. *Acanthia* Ent. syst. 4. 73. 25.

In Ostrogothia a Nob. D. Gyllenhal olim lectus in Betula alba.

Corpus planum, minutum, nigrum, abdomine pedibusque ferrugineis. *Antennarum* articulus primus crassior secundusque breves, globosi; tertius quartusque elongati. *Thorax* subquadratus, planus, superficie inæquali. *Elytrorum* rudimentum (in specimine nondum rite explicato obvio) albidum. *Abdominis* margo integer. Longitudo Acanth. lectulariæ, at angustior. Structura antennarum a ceteris nostris mox dignosci potest.

Aradus rugosus elytris pallidis, corpore oblongo, femoribus anticis crassissimis. Fabr. Rhyng. 116. 1. *Cimex* Linn. Fn. 916.

Obs. Hanc Speciem non vidi.

TINGIS.

Rostrum clypei emarginaturæ insertum.

Antennæ 4-articulatæ, ante oculos insertæ. *Fabr.*

Antennæ 4-artic. articulo tertio longiori et ultimo clavato. *Elytra* (et *thorax*) nervis confertim reticulatis: interstitiis diaphanis punctiformibus. *Rostrum* ad basin in tubo hiante positum.

Feminæ a maribus diversæ rima brevi in segmento anali.

Degunt in floribus, tarde se moventes.

Obs. *Corpu* ovatum, planiusculum, nudum, spinis capitis carinisque thoracis subtribus sæpius armatum. Structura hujus Generis arte, ut ita dicam, singulari condita est. Ceterum minuta hæc insecta sunt, et, paucis exceptis, minus frequenter obvia.

1) *Thorace carinato.*

a) *Antennis nudis.*

1. T. costata supra pallida reticulato-nervosa, thorace scutelloque tricarinatis; elytris in medio dilatatis.

Tingis costata Fabr. Rhyng. 125. 2. *Acanthia* Ent. syst. 4. 77. 39. Panz. Fn. Germ. 23. tab. 23.

Mas et Fem. similes. Paullo major sequente. *Corpus* (adulti) ferrugineo-fuscum, oculis nigris. Margo *thoracis* et *elytra* punctis diaphanis, nervis reticulatis maculisque aliquot obsoletis fuscis, inprimis in margine notata, quibus tamen juniores carent. *Antennæ* ferrugineæ, clava nigra. *Pedes* ferruginei.

Not. Capta excipulô in plantis sæpium rarior. Esperoed. — Statura a seqvente non discrepat nisi thorace magis angustato, elytrisque in medio laterum in angulum obtusum dilatatis. Color pro ætate variat.

2. T. cardui supra grisea reticulato nervosa, thorace et scutello tricarinatis; thoracis margine tenui elevato; elytris maculis fuscis sparsis.

T. cardui Fabr. Rhyng. 125. 3. *Acanthia* Ent. syst. 4. 77. 42. *Cimex* Linn. Fn. 929 D. Geer Ins. 3. 309. 38. tab. 16. fig. 1.

Habitat in Cardui capitulis frequens, in Scania et Wermelandia.

Mas et Fem. similes. *Corpus* viventis vel fuscum vel griseum. *Antennarum* articulus tertius et *Pedes* plerumque ferruginei. *Alæ* metallice nitentes. *Thorax* latitudine elytrorum: margine tenui, elevato, pellucido.

3. T. humuli fusca, thorace margine incrassato pallido et scutello tricarinatis; elytris reticulato-nervosis griseis: maculis sparsis fuscis.

Tingis humuli Fabr. Rhyng. 126. 7. *Acanthia* Ent. syst. 4. 77. 43.

MAS et FEM. similes. Statura et magnitudo præcedentis. *Caput* atrum. *Antennarum* clava nigra. *Thorax* niger, margine incrassato pallido et carina media distincta, ceteris obsoletis. *Pedes* plerumque ferruginei.

Not. Habitat frequens in gramine arvorum, excipulo capta in Esperoed tempore prior T. cardui, cum qua facillime confunditur, nisi thoracem attendere velis.

4. T. nigrina obscura, thorace scutelloque tricarinatis; elytris thorace latioribus albidis reticulato fusco-nervosis.

Habitat in Finlandia. D. Sahlberg.

FEM. *Caput* nigrum, antennis clavatis. *Thorax* tricarinatus versus caput angustior, marginibus tenuibus, reticulatis. *Abdomen* et *pedes* obscure ferruginea. *Elytra* thorace latiora, obscure cinerea, diaphana, immaculata, nervis tantum nigris subtiliter reticulatis. *Alæ* nitentes.

Obs. Marem nullum, nec nisi feminam vidi unicam.

5. T. parvula ferruginea, supra reticulato-nervosa thorace et scutello tricarinatis; elytris albidis immaculatis.

Habitat in Scania.

FEM. Figura corporis ut in T. cardui, at plus duplo minor. *Elytra* immaculata et *corpus* totum ferrugineum.

Obs. Specimen unicum vivum vidi: Esperoed.

6. T. cassidea rotundata, planiuscula, supra cinerea reticulato-nervosa; thorace carinis subtribus.

Habitat in Scania.

MAS. *Antennæ* ferrugineæ, apice nigro clavato. *Caput* nigrum, fronte supra oculos nigros spinis 2 hispidis armatum. *Corpus* ferrugineum, pedibus testaceis. *Elytra* subtilissime reticulata.

Not. Unicum individuum in pratis sylvaticis prædii Gylleboda captum. Differt a ceteris corpore rotundato, Cassi-

dam referente, at depresso et minutissimo. Thorax margine pellucido valde exserto, latitudine fere elytrorum: carina media scutellum transeunte, distincta, lateralibus autem obsoletis. An *Cimex musci* Schrank. Ins. Aust. p. 265?

7. T. pusilla obsura, ovata, supra cinerea reticulato-nervosa; thorace carinis tribus distinctis.

Caput nigrum spinis duabus verticis hispidis. *Corpus* ferrugineum.

Not. Hujus Generis minima, magnitudinem pediculi dimidiam vix attingens. In Scania semel sat copiose inventa, sub lapide in sæpe, plantationem Pini ambiente, ad prædium Oertofta, haud procul a flumine. Item missa a Nob. D. Gyllenhal — Ab antecedente distingvitur figura corporis, carinis tribus thoracis distinctis et magnitudine. An aptera?

b) *Antennis pilosis.*

8. T. crassicornis supra albida, antennis nigris hirsutis; thorace, scutello tricarinatis elytrisque reticulato-nervosis.

Habitat in gramine arvorum sat frequens. Esperoed.

Mas et Fem. similes. *Corpus* viventis *pedes*que ferruginea. *Antennæ* dense hirsutæ, *caput* antice spinosum, spinis brevibus, et *thorax* nigra. *Thoracis* margines diaphani, tenues, *elytra*que subtiliter nervoso-punctata, immaculata, nervis tantum fuscis. Margo *thoracis* anterior paullo inflatus. *Carinæ* tenues, elevatæ. *Alæ* nitentes.

Not. Ob hirsutiem, articulatio antennarum non conspici, nec clava observari potest.

9. T. spinifrons antennis testaceis subpilosis, thorace nigro: carina antica vesicula disci bivalvi elytrisque albidis reticulato nervosis.

In gramine rarior capta excipulo in villa Esperoed, et in Solano dulcamara in umbrosis Westrogothiæ. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. similes. *Caput* nigrum, spinis pluribus erectis obsitum. *Antennæ* testaceæ, apice fusco. *Thorax* niger, margine valde alato diaphano et reticulato, antice carina unica brevi et in disco vesicula valde inflata, diaphana, reticulata instructus. Ab hac vesicula procedit *scutellum* inflatum, at compressum. *Elytra* diaphana, reticulata, ad basin coarctata, in medio longitudinaliter gibbosa. *Abdomen* et *pedes* testacea.

10. T. foliacea antennis ferrugineis pilosis; thorace carinis tribus, vesicula antica bivalvi elytrisque albidis reticulato-nervosis.

Hospitatur rarior intra frutices in gramine. Esperoed; in floribus Chrysanth. leucanth. in pratis siccis a D. Gyllenhal inventa.

Mas. Præcedente vix major. *Caput* nigrum, spinis obsoletis vel nullis. *Antennæ* pilosæ, apice nigro. *Thorax* niger, margine alato diaphano; antice vesicula valde inflata, postice tricarinatus: carina media eminentiori per scutellum transeunte. *Elytra* diaphana, reticulato-nervosa, nervis brunneis, in medio longitudinaliter gibbosa. *Abdomen* et *pedes* ferruginea.

Not. Feminam non vidi.

11. T. pyri antennis clava pilosa; thorace vesicula antica, carina postica elytrisque albis reticulato-nervosis fusco-maculatis.

T. pyri Fabr. Rhyng. 126. 9. *Acanthia* Ent. syst. 78. 44.

In Carduo lanceolato a D. Gyllenhal capta in tractibus silvæ cæsæ et adustæ (Svetice *Svedjefall* pro Secale serendo).

Fem. *Antennæ* elongatæ, tenues, pallidæ, articulo ultimo crassiori, piloso. *Corpus* nigricans. *Thorax* niger, margine valde alato, reticulato, antice vesicula inflata capiti incumbente; postice carinis subtribus, simplicibus, albis: media majori scutellum transeunte. *Elytra* me-

tallice pulchre nitentia reticulata fusco-maculata, nervis, in ipsis maculis, ſuscioribus. *Pedes* pallidi.

Not. Marem nondum vidi.

2) *Thorace mutico.*

12. T. capitata grisea thorace lævi; elytris nebulosis basi albis, apice membranaceis; antennis pedibusque luteis.

Wolff. Cim. 3. 131. 125. t. 13. 124.

Habitat juxta agros frequens mense Septembr. Esperoed.

Mas et Fem. similes. Antennæ luteæ, clavatæ. Spinæ capitis adsunt. *Thorax* obscurus inæqualis impresso punctatus, antice rudimento 2 carinarum, et margine tenui, vix exserto. *Elytra* grisea s. nebulosa, basi alba, longitudinaliter nervosa; interstitiis minutissime reticulatis, et apice membranaceo instructa. *Alæ* nitentes, completæ. *Corpus* griseum, *pedibus* luteis.

Var. junior; *Caput* nigrum antennis luteis. *Thorax* obscurus, margine antico albo, impresso punctatus, rudimento carinarum omnino nullo. *Elytra* abdominis longitudine grisea, non nebulosa; at macula ad basin alba, nulla tamen apicis membrana instructa. *Corpus* griseum; alarum rudimento.

Not. Magnitudo pediculi; statura ad Ting. Cardui fere accedit, at minor. Var. β frequentior obvia, pro diversa specie haberetur, nisi habitum et convictum ipse conspexeris.

13. T. læta corpore cæruleo-atro, elytris opaco-albis; pedibus luteis.

Habitat in Scania et in Westrogothia.

Mas et Fem. similes. Hujus omnino est generis, præcedente minor, et facile distincta. Cæruleo-atra sunt: *abdomen, antennæ* 4-articulatæ clavatæ, *thorax* anteriora versus angustior, elongatus, impresso-punctatus, immarginatus, in medio linea longitudinali elevata; summo margine antico albo. *Scutellum* thoraci coadunatum album. *Elytra* alba, reticulata subtilissime punc-

tata, convexa, vix nervis nec membrana prædita. *Alæ* in adultis completæ. *Pedes* lutei.

Not. Minus frequenter in colle declivi, *Nyvång* dicto, Esperoed, in initio Septembris, nec alibi mihi unquam obvia. In Westrogothia autem a D. Gyllenhal in collibus pratorum tempore vernali visa.

T. alata thorace lineis quatuor elevatis fusca, elytris pallidis: macula apicis fusca Fabr. Rhyng. 125. 2. *Acanthia* Ent. syst. 4. 76. 38.

In Svecia inventa ab ill. Fabr. citatur.

T. clavicornis pallida, elytris reticulato punctatis. Fabr. Rhyng. 124. 1.

Cimex Linn. Fn. Sv. 911. *Acanthia* Panz. Fn. Germ. 23. 23. Reaum. Ins. 3. t. 34. f. 1-4.

Not. Citatum Geoffr. Ins. 1. 461. 56. ad *Ting. echii* Fabr. et Wolff. pertinet.

TETYRA.

Rostrum inflexum, capitis canali insertum. *Labium* elongatum, annulatum, subulatum. *Antennæ* 5-articulatæ. *Fabr.*

Species nostræ dignoscuntur: *corpore* ovato, valido et *scutello* abdomen vel totum vel quoad maximam partem obtegente.

Obs. *Victus* mihi nondum notus; neque an tibiæ in omnibus spinosæ sint, dicere possum. *Genitalia* atque in Cimice similiter fere constructa.

1. T. maura fusco-ferruginea, scutelli punctis 2 baseos albis.

Fabr. Rhyng. 136. 36. *Cimex* Ent. syst. 4. 87. 30. Linn. Fn. 913. Sulz. Hist. Ins. t. 11. f. D.

Fem. Tota fusco-ferruginea, impresso-nigro-punctata. *Caput* in medio lineolis 2 impressis notatum. *Thora-*

cis margines non plicati. *Scutellum* maximum, abdomen fere totum una cum membrana elytrorum tegens; puncto ad basin utrinque albo, lineola media lævi pallida præditum. *Elytra* angustata. *Abdomen* margine postico elytra excedente, nigro maculato; spiraculis nigris. *Pectus pedes*que nigro-punctata. Magnitudo fere Cim. baccarum.

Not. Hanc speciem variare fertur et magnitudine et colore (v. Schrank Enum. Ins. Aust. p. 263.) nota tamen constanti: *scutelli puncto utrinque pallidiori*. Jam autem plura dantur et specie et Genere specimina diversa, quæ ejusmodi picturam et colorem griseum s. cinereum habent; ex. gr. apud nos: *Cimex perlatus* et *Cydnus umbrinus*. An igitur confusio? — Unicum modo vidi specimen, hoc loco descriptum, in silva Esperoed. a me captum. *Tet. maroccana* Fabr. Rh. 135. 35. an specie diversa?

2. T. fuliginosa pubescens, scutello fuliginoso; lituris nigris: postica albo-bifida.

Fabr. Rhyng. 139. 50. *Cimex* Ent. syst. 4. 90. 42. Linn. Fn. 914.

Mas. Statura ovalis. Subtus niger, supra cinereus, impresso-punctatus, pubescens. *Scutellum*, thoraci concolor, abdomen operiens, litura utrinque curva, punctis baseos et anali, nigris; in medio linea glabra alba per thoracem quoque transiens punctumque scutelli anale dissecans.

Not. Viventem hanc videre non mihi contigit, ab alio Collectore in Scania captam.

3. T. scarabæoides lævis, corpore toto æneo-atro.

Fabr. Rhyng. 143. 70. *Cimex* Ent. syst. 4. 89. 37. Linn. Fn. 912. Wolff. Cim. 1. 4. 4. t. 1. f. 4.

Habitat in arvis cultis Esperoed mense Septembri, non frequens.

Mas et Fem, similes. *Corpus* atrum, nitidum, punctatum; *scutellum* maximum, abdomen operiens. *Pedes* distincte spinosi.

C I M E X.

Clypeus truncatus, integer. *Rostrum* thorace longius inflexum. *Antennae* 5-articulatae ad basin rostri insertae. *Fabr.*

Corpus subovale. *Frons* exserta, obtusa. *Thorax* antice angustatus. *Scutellum* triangulare abdomine multo minus. *Pedes* hirsutuli, s. pilosi: tibiis minime spinosis.

Sexus differt: rima feminae anali breviuscula, et corpusculo maris bicorniculato, saepius abscondito.

Victitant vegetabilia. Quasdam tamen Species insecta alia persequi contenditur.

1) *Thorace utrinque spinoso.*

1. C. bidens thorace acute spinoso, brunneo-griseus, antennis rufis. *Cimex* bidens Linn. Fn. 921. Fabr. Rhyng. 155. 2. Ent. syst. 4. 93. 54. De Geer Ins. 3. t. 15. f. 9. Panz. Fn. 26. t. 22.

MAS et FEM. *Corpus* brunneo-griseum, supra aeneo-fuscum, impresso-nigro-punctatum; pectore coccineo-maculato. *Membrana* elytrorum et *alae* aeneo-nitentes. *Pedes* rufescentes. *Mas* paullo minor ano truncato ciliato, corniculis 2 acutis elongatis instructo.

Not. Habitat ubique in plantis agrorum quiescentium tempore autumnali. — Character Generis ab hac specie in Fabricii Systemate desumtus est.

2. C. bispinus thorace acute spinoso, subtestaceus: capite spinisque nigris, sterno carinato.

Cimex bispinus Wolff. Cim. 1. 8. t. 1. f. 8. Panz. Fn. 26. f. 23.

Cimex ferrugator Fabr. Rhyng. 162. 37. Ent. syst. 4. 101. 86.

FEM. Magnitudo C. oleracei. *Corpus* (exsiccati) nitidum griseo-testaceum, subtus et supra impresso-nigro-punctatum. *Antennae* pallidae, articulo ultimo fusco. *Caput*

supra et *spinæ* acutæ et validæ thoracis nigra, nitida. *Scutellum* in medio nigrum, apice pallidum. Elytrorum membrana magna, apice nigro-infuscata. *Abdomen* summo margine nigro-punctatum. *Pedes* pallidi, impunctati, leviter pilosi.

Not. Abdomen, ut in speciebus tribus subsequentibus, carina ventrali instructum. Uterque sexus captus prope Holmiam a D. Paykull, Hæffner et Schoenherr. Descriptum specimen a D. Gyllenhal missum.

3. C. hæmorrhoidalis thorace subacute spinoso, subvirescens antennis nigris; abdominis dorso nigro et rubro variegato; sterno carinato.

Fabr. Rhyng. 160. 27. Ent. syst. 4. 98. 76. Linn. Fn. 925. De Geer. Ins. 3. 254. 3. tab. 35. fig. 7.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) supra subvirescens impresso nigro punctatum, spinis thoracis vel rufis vel nigris. *Subtus* lividum, glabrum, immaculatum, ano rufescente. Abdomen *Maris* (in meis speciminibus) supra rubrum, nigro-maculatum, *feminæ* nigrum, rufo-maculatum, margine in utroque sexu immaculato pallido. *Apex* scutelli albidus. *Membrana* elytrorum brunnea.

Fem. ano clauso, duobus supra tecto lamellis.

Mas. ano bilobo, ciliato, truncato: corniculis 2 acutis.

4. C. lituratus thorace subspinoso, subvirescens antennis pallidis; abdomine supra nigro; sterno carinato.

Fabr. Rhyng. 170. 84. Wolff. Cim. 1. 14. t. 2. f. 14. Panz. Fn. 40. t. 19.

Cimex dentatus De Geer. Ins. 3. 260. 8.

Var. β. pallidior. *Cimex collaris* Fabr. Rhyng. 170. 83.

Mas et Fem. Statura omnino præcedentis, at paullo minor. *Corpus* (in exsiccatis) subtus cum antennis pedibusque lividum, immaculatum, glabrum, spiraculis nigris; supra subvirescens nigro-impresso-punctatum, *thoracis* antico magis glabro et flavescente. *Abdomen* supra totum nigrum, margine livido excepto, et *ano*

præsertim *Maris* rufo. *Scutellum* basi et *elytra* interne et postice rufescentia: membrana albida, in margine macula obsolete fusca sæpius notata. *Alæ* albicantes. *Sterni* et *ani* structura ut in specie præcedente.

Not. Quamquam in descriptione Ill. Fabricii nulla de sterno carinato fit mentio, et quamquam hæc species et subsequens in ea subdivisione, quæ *thorace mutico* inscribitur, collocatæ sunt, attamen synonymiam allatam veram esse, jure arbitror.

5. C. agathinus thorace subspinoso, testaceo virescens, abdominis dorso nigro: margine albo nigroque variegato; sterno carinato.

Cimex agathinus Fabr. Rhyng. 170. 82. Ent. syst. 4. 114. 13. *Cimex griseus* Linn. Fn. 926. *C. betulæ* De Geer. Ins. 3. 261. 8. t. 14. f. 9. *C. agathinus* Wolff. Cim. 2. 58. t. 6. f. 55.

Var. β. membrana elytrorum immaculata.

Cimex interstinctus Linn. Fn. et Fabr. Rhyng.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) subtus subvirescens vel pallide testaceum, pectore impresso-nigro-punctato, spiraculisque nigris. Supra griseo-vel testaceo-virescens, impresso-nigro-punctatum: *scutello* antice fuscior. *Membrana* elytrorum albida: macula obsolete fusca. *Alæ* vix coloratæ. Præcedente fere duplo minor.

Not. Conveniunt inter se tres species proxime antecedentes et habitu et carina ventrali; ac differunt pictura abdominis dorsi, quam in pluribus speciminibus constantem vidi. Aliter quoque vix discerni possunt. — *Cimex* griseus Fabr. Wolff. et Panz., magnitudine Cim. hæmorrhoidalis, diversa est species, in Svecia nondum inventa.

6. C. punctatus thorace subspinoso, æneo-fuscus abdominis margine variegato tibiis annulo albo.

Fabr. Rhyng. 157. 12. Ent. syst. 4. 95. 62. Linn. Fn. 924. De Geer Ins. 3. 269. 14.

Mas et Fem. Corpus (exsiccati) æneo - fusco - nebulosum impresso - punctatum, pectore pallidiori. *Abdomen* supra nigrum, margine albo et nigro variegato. Membrana et alæ æneo-fusca. *Pedes* nebulosi, tibiis annulo late albo. *Genitalia* priorum. Sternum carinatum nullum. Habitat passim rarior.

7. C. rufipes thorace obtuse spinoso, ferrugineo-fuscus; scutelli apice pedibusque rufis.

Fabr. Rhyng. 156. 5. Ent. syst. 4. 93. 56. Linn. Fn. 922. De Geer Ins. 3. 253. 2.

Habitat in Wermelandia.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) subtus lutescens, punctis minutis nigris adspersum, spiraculis fuscis, pedibus rufis; supra ferrugineo - fuscum, punctatum, scutello rugoso, apice rufo; membrana elytrorum fuscescente. *Abdominis* margo nigro rubroque variegatus. Spinæ thoracis latiores s. auriculatæ.

8. C. luridus subvirescens thorace obtuse spinoso: margine antico denticulato; antennarum articulo quarto versus apicem lutescente.

Fabr. Rhyng. 157. 6. Ent. syst. 4. 94. 57. Wolff. Cim. 4. 136. t. 13. f. 130. Panz. Fn. 92. t. 9.

Fem. A Nob. D. Gyllenhall in Svecia inventus. — Magnitudo C. baccarum. *Corpus* (exsiccati) griseo-testaceum s. subvirescens, subtus et supra subtiliter impresso-nigro-punctatum. *Antennæ* nigræ, annulo articuli quarti luteo. *Caput* nigrum planiusculum, antice, ut in Cim. baccarum, obtusum, emarginatum. *Thoracis* margo niger, antice denticulatus, postice obtuse auriculatus. Apex *scutelli* immaculatus. *Membrana* elytrorum æneo-grisea. *Abdomen* supra cæruleo - atrum, margine luteo-guttato, subtus subvirescens, pedibus concoloribus, impresso - nigro - punctatis, leviter pilosis.

Not. Marem non vidi. Femina a me observata ab omnibus nostratibus discernitur denticulis thoracis.

9. C. nigricornis thorace obtuse subspinoso, subferrugineus; spinis antennisque nigris. Fabr. Rhyng. 157. 18. Ent. syst. 4. 94. 59.

Cim. purpureipennis De Geer Ins. 3. 258. 5. t. 13. f. 15.

MAS et FEM. *Subtus* subvirescens, *supra* subferrugineus impresso-nigro-punctatus, antennis et spinis semper nigris. *Scutelli* apex flavescens. *Abdomen* supra nigrum, margine pallide punctato. *Pedes* pallidi, ungvibus nigris. Color capitis variat. *Spinæ* thoracis breves.

Var. *Mas* supra læte ferrugineus, antennis spinisque nigris.

2) *Thorace mutico.*

10. C. dumosus obscurus, linea dorsali punctis duobus scutelli annuloque tibiarum rufis pallidisve.

Fabr. Rhyng. 168. 7. Ent. syst. 4. 111. 121. Linn. Fn. 929. Panz. Fn. 33. t. 10.

FEM. *Corpus* (exsiccati) subtus nigrum, tibiis in medio pallidis; supra griseum impresso-nigro-punctatum, *thorace* antice et *scutello* nigricantibus. Linea dorsalis, latera thoracis, puncta duo scutelli, pallida. *Abdomen* supra nigrum. *Alæ* albo-nitentes. — Statura C. punctati, at duplo major.

Not. Pictura rufa Fabr. in meo specimine exsiccato pallida est. *Mas* deest.

11. C. prasinus viridis immaculatus; antennarum ultimo articulo rufo apice fusco. Fabr. Rhyng. 166. 58. Ent. syst. 4. 109. 111. Linn. Fn. 931. De Geer Ins. 3. 266. 9.

Not. Vivum nunquam vidi. A sequente mox distingvitur scutelli apice concolore.

12. C. juniperinus viridis, margine undique scutelloque apice flavo.

Fabr. Rhyng. 167. 60. Ent. syst. 4. 109. 113. Linn. Fn. 930. De Geer. Ins. 3. tab. 13. f. 1. 2. Panz. Fn. 33. t. 16.

Mas et Fem. *Corpus* impresso-punctatum. *Tibiæ* pilosæ.

13. C. baccarum supra rufescens, antennarum annulis scutelli apice albis; abdominis margine albo: maculis binatis nigris.

Fabr. Rhyng. 172. 92. Ent. syst. 4. 117. 144. Linn. Fn. 928. De Geer Ins. 3. 254. 4. t. 14. f. 5. Panz. Fn. 33. t. 20.

Mas et Fem. *Corpus* supra impresso-nigro-punctatum, pilis rarioribus obsitum. *Antennæ* nigræ albo-annulatæ. *Cap.* fuscum vel griseum, inæquale, apice truncato emarginato. *Thor.* rufescens, lineola in quibusdam pallida dorsali. *Scut.* fusco-virescens, apice albo. *Elyt.* ferruginea, subtus magis læte (etjam in exsiccatis) sangvinea: membrana sub apice scutelli macula nigra. *Alæ* nigricantes, nervo marginali sangvineo, et pone medium lunula nigra notatæ. *Abdom.* supra nigrum, margine albo: maculis undique nigris bilobis. *Corpus* subtus et *pedes* griseo-virescentia, nigro punctata et pilosa. Pedes quoque rufescunt. Articuli *tarsorum* et *oculi* nigri.

Not. Differentia specifica ab Auctoribus huic speciei imposita in dubium facile inducit. Color in exsiccatis mutatur; in vivis tamen semper rufescens, elytris infra totis sangvineis. Specimina plurima comparata sunt. — De Specie igitur determinata et, saltim a ceteris nostris, distincta æque confido.

Excipulo in gramine sub æstate copiosissime bis capitur, scilicet mense Junio et Septembri; Esperoed. Character Generis cum hac Specie comparatus emendationem facile patitur.

14. C. vernalis supra rufescens, antennis basi, scutello apice, rufis; abdominis margine supra maculis simplicibus rufis, subtus nigris binatis.

Cimex vernalis Wolff. Cim. 4. 141. 135. t. 14. f. 135.

In Rinnekulle Westrogothiæ sat copiose captus in Epilobio. D. Gyllenhal.

MAS. *Corpus* (exsiccati) supra rufescens impresso-nigro-punctatum. *Antennæ* rufæ subhirsutæ, articulis 2 ultimis nigris: basi rufis. *Caput* obscurum fronte parum emarginata. *Abdomen* supra nigrum, in margine simpliciter nigro maculatum; subtus pallidum impresso-punctatum, maculis in margine bilobis nigris. *Pedes* pallidi, nigro-punctati, *tibiis* villosis. Præcedente paullo minor.

15. C. ornatus nigro rubroque varius capite alisque nigris; membrana elytrorum albo-marginata.

Fabr. Rhyng. 172. 93. Ent. syst. 4. 118. 150. Linn. Fn. 937. Panz. Fn. 33. t. 21. Wolff. Cim. 1. 15. t. 2. f. 15.

Corpus nigro et rubro luteove variegatum, nitidum, supra impresso punctatum. Præterea nigra sunt: *antennæ*, *caput* et *pedes*. *Membrana* elytrorum nigra, margine albo. *Tibiæ* pubescentes. *Clypeus* emarginatus.

Var. a. rubro-varius, pectore abdominisque medio nigris: punctis lateralibus et marginalibus, distinctis, thoracisque sex confluentibus nigris.

Var. β. luteo-varius, pectore abdominisque medio nigro-maculatis; punctis lateralibus et marginalibus thoracisque sex distinctis nigris; capitis margine luteo; femoribus basi pallidis.

Not. Hanc speciem in Svecia habitantem indicat Linn. Fauna. Mihi autem non obvia fuit, nec alium coævum eam invenisse audivi. Duo exemplaria forte feminea ad me misit Nob. D. Gyllenhal, sequenti Speciei affinia, at duplo majora.

16. C. oleraceus cæruleo-æneus, thorace lineola scutello apice elytrisque puncto rubro albove.

Fabr. Rhyng. 177. 112. Ent. syst. 4. 121. 162. Linn. Fn. 934. De Geer Ins. 3. t. 15. f. 22. Panz. Fn. 32. t. 12.

Habitat in hortis culinaribus, in Urtica et in aliis plantis sæpium mense Septembri frequentissime.

MAS et FEM. Variat uterque sexus pictura rubra, lutea et alba. Variat quoque uterque scutello trimaculato. Va-

riat denique abdomine subtus vel toto cæruleo-æneo, vel pallido: maculis in medio et in margine nigris. Nota speciei constans. Præterea margo *thoracis, elytrorum abdominisque* maculæ marginales simplices semper colorata. *Membrana* fusca. Structura *clypei* fere eadem atque in Cydni genere; at tibiæ non spinosæ.

17. C. cæruleus cæruleus immaculatus. Fabr. Rhyng. 178. 119. Ent. syst. 4. 123. 166. Linn. Fn. 933. De Geer 3. 268. 11. Panz. Fn. 32. t. 14.

MAS et FEM. similes. *Corpus* impresso-punctatum, totum concolor; *membrana* elytrorum nigricante.

Variat colore æneo-virescente.

18. C. perlatus griseus impresso-punctatus capite nigro, scutello utrinque puncto albo.

Cimex perlatus Fabr. Ent syst. 4. 125. 177. Wolff. Cim. 2. 68. t. 7. f. 65. Panz. Fn. 33. f. 24. *Cimex griseus nigropunctatus* De Geer Ins. 3. 270. 15. *Cydnus perlatus* Fabr. Rhyng. 187. 15.

MAS. *Corpus* impresso nigro punctatum, supra griseum. *Caput* obscurum, in medio lineolis 2 impressis notatum. *Thorax* summo margine laterali elevato albo, lineola disci parum manifeste glabra albida per scutellum continuata. *Elytra* abdominis margines tegentia, membrana pallida nervosa. *Abdomen* subtus æneonitens, pectore *pedibusque* pallidioribus nigro-punctatis. Paullo minor C. oleraceo.

Not. Vivum vidi unicum, in sylva prope Engelholm Scaniæ, mense Julio, captum. Frequentior in Kinnekulle a D. Gyllenhal visus. — Structura clypei hujus omnino est generis, non Cydni. Sequenti *Aceliæ acuminatæ* affinis quoque videtur, etjam quoad insertionem antennarum etc. Cum *Tetmaura* non confundi debet.

C. morio Linn. Fn. . . . . . .
— bicolor Linn. Fabr. . . . } in Cydne.
— biguttatus Linn. Fabr. .
— umbrinus Wolff. . . . . .

AELIA.

Clypeus porrectus, acutus, bifidus. *Vagina* 3-articulata capitis medio subtus inserta. *Antennæ* inflexæ, 4-articulatæ, capiti subtus ante oculos insertæ. *Fabr.*

Obs. Antennæ in AE. acuminata, unde characterem generis desumsit Ill. Fabricius, revera 5-articulatæ: articulo basali crassiori, secundo paullo longiori, ceteris æqualibus. *Genus* forte delendum, et cum *Cimice* conjungendum?

1. AE. acuminata exalbida fusco-striata, antennis apice rufis. Fabr. Rhyng. 189. 6. *Cimex acuminatus* Ent. syst. 4. 126. 179. Linn. Fn. 939. De Geer Ins. 3. 271. 16. t. 14. f. 12. 13. Panz. Fn. 32. t. 17.

Habitat sat frequens in Westrogothia. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. *Corpus* ovatum antice acuminatum impresso-punctatum, (in exsiccato) pallidum; striga dorsali fusca, a fronte versus apicem scutelli e punctis impressis nigris ducta, per lineam mediam pallidam divisa. Striga *thoracis* lateralis et *elytra* impresso-nigro-punctata; margo tamen omnis pallidus. *Subtus* pallida nigropunctata. *Abdom.* supra nigrum. *Alæ* et *membrana* albida. *Pedes* pilosi.

Not. A Speciebus Cimici allatis dignoscitur: structura corporis antice acuminata, capite scilicet et thorace versus elytra sensim dilatato triangulum quasi formantibus.

C Y D N U S.

Clypeus rotundatus, porrectus, emarginatus. *Rostrum* breve, inflexum. *Labium* tenuissimum, subulatum. *Antennæ* 5-articulatæ, sub capite insertæ. *Fabr.*

Genus Cydni a Cimice, cui affine, optime distingvitur 1. Capitis clypeo latiori, rotundato. 2. Structura thoracis antice posticeque æqualiter dilatati (inde figura corporis anteriora versus magis rotundata quam in Cimice). 3. Tibiis spinosis.

Obs. Differentia Sexus in exsiccatis non nisi difficulter detegi potest. In ea tamen, ut et in victu cum Cimice prope convenit Cydnus. Quando capitur, timide paullo exspectat, mox autem celeriter currere conatur. Humorem pingvem e C. morione, bicolore et 2-guttato demortuis evaporari sæpius vidi.

1. C. morio niger supra confertim impresso-punctatus, antennis basi tarsisque ferrugineis.

Cydnus morio Fabr. Rhyng. 184. 3. *Cimex* Ent. syst. 4. 124. 171. Linn. Fn. 932. Wolff. Cim. 67. t. 7. f. 64. *Cim.* tristis Panz. Fn. 32. t. 16.

Var. β. minor, membrana elytrorum vel alba vel nigricante.

Cydnus tristis Fabr. Rhyng. 185. 7. *Cimex* Ent. syst. 4. 124. 172.

Cimex morio Panz. Fn. 32. t. 15. niger spinipes De Geer Ins. 3. 269. 13.

Mas et Fem. similes. *Corpus* ovatum obscure nigrum supra impresso-punctatum immaculatum, membrana elytrorum alisque albis. Articulus secundus ad basin antennarum, tarsi et rostrum ferruginea. *Thorax* interdum (non semper) in medio transversim retusus, imprimis in minoribus. *Tibiæ* valde spinosæ.

Not. Hospitatur hæc species sub lapidibus in agris arenosis prope Kivik in Scania mense Junio, et in plantis agro-

rum quiescentium Esperoed mense Septembri. Variat uterque sexus magnitudine Cimicis baccarum et C. oleracei. Deest in figura delineata *C. tristis* Panz. color rufus ad basin antennarum et in plantis. Hæ partes in exsiccato specimine facile nigruerunt.

Obs. Specimen vidi exoticum C. morioni primo quidem intuitu simillimum, at specie revera diversum. Etenim thorax vix impresso-punctatus, et elytra punctis non nisi rarioribus, nec ita profundis, impressa sunt. Caput quoque paullo declivius, superficie magis inæquali. *Pili* aliquot rariores rigidi in fronte et in margine thoracis adsunt. Colpr totius in piceum vergens, magis nitidus quam in C. morione. Forte Mas Cyd. flavicornis Fabr. Rhyng. 184. 2.? — Tibiæ in omnibus Cydni speciebus genuinis spinosæ (non ciliatæ). Maxima est et erit specierum affinium confusio, nisi notæ a structura, ab impressionibus etc. desumtæ in descriptionibus indicantur.

1. C. bicolor niger, elytris albo nigroque variis, alis albis.

Cimex bicolor Fab. Rhyng. 176. 109. Ent. syst. 4. 121. 161. Linn. Fn. 936. De Geer Ins. 3. 268. 12. Panz. Fn. 32. t. 11.

Habitat sat frequenter in agris demessis mense Septembri et sub lapidibus tempore veris.

Mas et Fem. similes. *Corpus* ovatum impresso-punctatum, nigrum, nitidum. Alba sunt: macula thoracis utroque in margine, lunulæ 2 elytrorum, maculæ simplices in margine abdominis. *Pedes* nigri, tibiis spinosis ad basin albis. *Alæ* et *membrana* albida. Magnitudo paullo variat.

3. C. biguttatus niger margine undique albo, elytris puncto albo.

Cimex 2 guttatus Linn. Fn. 935. Fabr. Rhyng. 178. 116. Ent. syst. 4. 122. 164.

Hospitatur rarior in floribus pratorum. Esperoed menso Jun.

Fem. *Corpus* nigrum impresso-punctatum, margine undique albo. *Thorax* in medio transversim retusus. *Tibiæ* subspinosæ.

Not. Puncta elytrorum alba interdum desunt in vivis, et sæpe evanescunt in mortuis. Hinc facile *Cim. albomarginatus* Panz. 33. f. 12. ortus est. Figura enim nostris speciminibus haud dissimilis. *Cim. albomarginatum* Schrank. Ins. Aust. 275. 531. aliam esse speciem ex eo præsumo, quod latera abdominis flavo-variegata erunt. Hæc autem species in Svecia nondum inventa.

4. C. picipes niger, antennis pedibus margineque exteriori elytrorum obscurè ferrugineis.

Habitat in Svecia.

Statura omnino C. morio. at multo minor, magnitudine scil. vix *Tet.* scarabæoidis, cum qua non confundi debet. *Corpus* impresso-punctatum nigrum, nitidum: membrana elytrorum alba. *Antennæ*, tibiæ spinosæ, et extimus margo elytrorum obscure ferruginea. Antennarum articulus ultimus crassior.

Not. Unicum vidi exemplar ab alio Collectore captum. *Scutellum*, ratione proportionis, majus et prope apicem latius quam in C. morione. Elytrorum margo in vivis an albus? Forte C. *nigrita* Fabr. Rhyng. 184. 1.? sed major hic supponitur; tibiis quoque serratis, quæ in C. picipede spinosæ rectius appellántur.

5. C. umbrinus griseus subtiliter nigro-punctatus, clypeo dilatato immarginato; abdominis margine maculis binatis fuscis obsoletis.

Cimex umbrinus Wolff. Cim. 4. 142. t. 14. f. 136.

Habitat in Scania.

Mas et Fem. Statura a præcedentibus omnino diversa. *Corpus* ovatum, depressum, planum, griseum, supra punctis minutissimis impresso-nigris adspersum. *Caput* dilatatum, antice rotundatum, immarginatum, supra æquale. *Anten.* 5-articulatæ. *Oculi* nigri. *Scutellum* magnum, apice obtusum, maculis baseos nigris et 2 al-

bis obsoletis. *Elytra* postice vix tegentia, membrana fusca. *Alæ* breves, albæ. *Abdomen* postice dilatatum; supra in medio nigrum, margine griseo: maculis binatis fuscis obsoletis; subtus in medio plerumque annulo nigro nitido, vel rarius macula rotundata integra, vel maculis pluribus longitudinaliter positis, et præterea maculis ad latera pectoris nigris nitidissimis notatum. *Pedes* grisei tibiis vix spinosis. *Sexus* differentia ut in Cimice. Paullo major A. lectularia.

Not. In summitate montis *Stenshufvud* mense Junio ad radices graminum timide sese latitat. AEstate adulta in gramine pascuorum Esperoed quoque occurrit. Hæc species ad proprium Genus jure mandanda est. Clypeus in plerisque speciminibus antice integer, rotundatus, rarius paullo emarginatus. Idem valet de *Cydno* morione, quod Characteris generis caussa observare liceat. — Larva C. umbrini valde tenuis et depressa. Inter declaratos frequentior est varietas: *annulo ventrali nigro.* Fertur, quoque structuram hujus speciei a structura *Halys planæ* Fabr. non recedere, *Cydnumque umbraculatum* Fabr. Rhyng. 186. 10 hic esse referendum.

COREUS.

Os rostro inflexo capitis apici prominulo inserto. *Labium* elongatum, subulatum, incumbens. *Antennæ* capitis apici insertæ. *Fabr.*

Species Sveciæ sequentes inter se conveniunt 1. antennis 4-articulatis: articulo ultimo crassiori. 2. stemmatibus 2 distinctis in vertice. 3. Basi rostri intra tubum hiantem affixa.

Obs. In duas abeunt sectiones, quarum prior: corpore latiore, thoracis margine attenuato sæpe exserto, et structura ani differentiam sexus manifestante; posterior autem: thoracis margine non attenuato, mutico, et structura ani differentiam sexus externe vix manifestante, prædita est. Illa continet species, quæ ad *Coreum* Fabr. Ent. Syst. pertinent:

hæc includit species e Lygæo Fabr. ad Coreum in Syst. Rhyng. translatas. In illa tubus, in quo rostrum insidet, major et distinctior quam in hac, observatur. Species itaque, in sectione posteriori collocatæ, a Lygæo quoad ani structuram revera sunt distinctæ, quam ob rem Lygæus hyoscyami Fabr. et affines ad Genus Corei jure meritoque transferri debent. Ceterum nisi tubum capitis hiantem conspexeris, nulla valida Generis nota a rostro desumi potest, cujus ope Lygæus et Coreus a se invicem discerni queunt. Confer. Characteres ab Ill. Fabr. in Syst. Rhyng. allat.

1) *Thoracis margine attenuato.*

1. C. marginatus griseo-brunneus, thoracis obtuse spinosi abdominisque margine acute elevato; elytris lævibus: membrana aureo-brunnea.

Coreus Fabr. Rhyng. 192. 6. Ent. syst. 4. 126. 1. *Cimex* Linn. Fn. 923. De Geer Ins. 3. 272. 17.

Habitat passim in plantis agrorum demessorum, tempore autumnali.

Mas et Fem. similes. *Corpus* supra et subtus impresso punctatum, non pilosum, brunnescens, non nitidum. *Antennarum* articulus primus triqueter, secundus et tertius rufus cylindricus, quartus oblongo-ovalis. *Frons* intra antennas spinis 2 obliquis instructa. Latera *thoracis*, postice elevata, spinam obtusam utrinque formant. *Abdomen* supra rubrum, basi nigrum, marginibus elevatis, infuscatis. *Alæ* fuscæ. *Pedes* scabriusculi.

Not. Inter maximos Sveciæ Cimices adnumeratur.

Larva: antennarum articulis omnibus trigonis.

2. C. quadratus griseo-flavescens, supra punctulatus, fuscior; thorace obtuse spinoso; abdomine quadrato.

Coreus Fabr. Rhyng. 199. 36. Ent. syst. 4. 132. 20. Wolff. Cim. 2. 70. t. 7. f. 67.

Fem. Præcedente parum minor. *Corpus* (exsiccati) griseo-flavescens, opacum non pilosum, subtus subtiliter impresso punctatum, immaculatum, supra elevato-punctulatum. *Antennarum* primus articulus triqueter, crassior, brunnescens, distincte elevato punctulatus, secundus triqueter et tertius teres, æquali longitudine, angustiores, ferruginei; quartus ovalis, niger, crassior. *Caput* intra antennas acutiuscule porrectum, et spinula extra antennas præditum. *Thorax* postice utrinque in angulum dilatatus, summo margine pallidiori. *Elytra* abdomine angustiora, membrana griseo-ænea. *Abdomen* sub alis nigro-maculatum, pone medium in angulum dilatatum, unde figuram subquadratam obtinet. *Pedes* pallidi, femoribus muticis, tibiis subspinosis.

Not. Hæc species raro inventa est in Westrogothia et prope Stockholmiam. Marem non vidi.

3. C. spinipes griseo-brunneus supra punctulatus, thoracis lateribus summis elevatis albis; femoribus posticis apice unispinosis.

Fem. Corpus (exsiccati) griseo-brunneum vel grisescens. *Antennarum* articulus primus cylindricus, crassior et ultimus ovali-clavatus, obscure ferruginei; secundus brevior et tertius elongatus; ferruginei. *Caput* intra antennas obtuse productum, spinula ad basin extus præditum. *Thorax* impresso-punctatus, postice latior, muticus, summo margine elevato albo. Scutellum apice acuto albo. *Elytra* abdomine paullo angustiora elevato-nervosa et antice inprimis elevato-punctata, membrana grisea nervis crebris albo-interruptis. *Abdominis* margo nebulosus. *Pedes* concolores, femoribus posticis prope apicem unispinosis, tibiis submuticis. Paullo brevior C. hyoscyami, at latior.

Not. Hæc species raro capta in Kinnekulle a D. Gyllenhal, et prope Stockholmiam a D. Hæffner. Unicam vidi feminam, nullum marem.

4. C. nubilus cinereo-opacus, thoracis lateribus antice elevatis albis; elytris nervis elevatis.

Habitat in Scaniæ Esperoed.

Fem. *Corpus* cinereo-fuscum, minime nitidum nec pilosum. *Antennæ* articulo primo crassiori, cylindrico, fusco, et quarto ovali nigro: apice albido; secundo brevi, et tertio elongato, ferrugineis. *Frons* porrecta mutica, acumine obtuso. Latera *thoracis* antice acutiuscule elevata, alba. *Abdomen* supra fuscum, margine elevato infuscato. *Elytra* nervis 2 validis: membrana nervis crebris nigris albo-interruptis notata. *Pedes* cinereo-fusci, femorum posticorum apice vix spinuloso?

Not. Specimen modo unicum vidi, ad radicem fruticis sub foliis exsiccatis in fine Aprilis vivum captum; Magnitudine Lyg. urticæ, paullo latiori. Vix differt a præcedente, nisi thoracis latere, imprimis autem capite extra antennas, non spinula, sed tuberculo instructo. Duplo quoque minor est.

2) *Thoracis margine non attenuato.*

5. C. crassicornis griseo-virescens subpilosus; scutelli apice rotundato; elytrorum nervis elevatis: membrana alisque albis.

Coreus Fabr. Rhyng. 201. 46. *Lygæus* Ent. syst. 4. 168. 114. Wolff. Cim. 4. 146. t. 14. f. 140. *Cimex* Linn. Fn. 952.

Habitat in Westrogothia. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) griseo-virescens, subpilosum, impresso-nigro-punctatum. *Thorax* immarginatus, antice ruga transversa elevata et lineola media glabra instructus. *Scutellum* triangulare, apice rotundato concolore. *Elytra* membranacea, nervis validis ferrugineis nigro-punctatis. *Abdomen* supra nigrum, maculis in margine nigris, vel contiguis vel distinctis; subtus griseum, pedibus pilosis nigropunctatis.

6. C. *capitatus* ferrugineo-griseus, pilosus, scutelli apice albo subemarginato; elytrorum nervis elevatis: membrana alisque albis.

Coreus Fabr. Rhyng. 201. 49. *Lygæus* Ent. syst. 4. 169. 112. Wolff. Cim. 2. 75. t. 8. f. 72.

Habitat in Westrogothia. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. Statura præcedentis minor; magnitudine Lyg. urticæ. *Corpus* (exsiccati) supra rufescens, impresso punctatum, pilosum. *Scutelli* apex albus, subemarginatus. *Elytra* antice pallida, membranacea, nervis elevatis nigro-punctatis, postice rufa; membrana et alæ albidæ, immaculatæ. *Abdomen* supra nigrum, margine pallido, maculis nigris, postice albo-maculatum. Corpus subtus ferrugineo-virescens s. griseum, pedibus pilosis nigro-punctatis. Antennæ corporis colore, pilosæ.

7. C. *magnicornis* ferrugineo-virescens pilosus, scutelli apice concolore subacuto; elytris nervis elevatis membrana alisque albis.

Coreus Fabr. Rhyng. 200. 44. Lygæus Ent. syst. 4. 168. 112.?

Habitat in Scania frequentissime; prope Cimbrishamn in pratis siccis.

Mas et Fem. Statura et magnitudo præcedentis. *Corpus* (viventis) viridi-rufescens, sparsim nigro-punctatum, in exsiccatis vel ferrugineum vel pallidum vel griseum. *Antennæ* pilosæ, articulo primo crassiori, breviori, secundo et tertio subæqualibus, quarto elongato-ovali, crassiusculo, in vivis rufescenti. *Oculi* nigri, valde exserti. *Caput*, *thorax* et *pectus* pallido rufa, rugose-punctata, pilosa. *Thorax* antice carina transversa in omnibus, et lineola media per scutellum ducta pallidiori in quibusdam instructus. *Scutellum* apice subacuto concolore. *Elytra* lævia, in aliis subcoriacea, in aliis membranacea, grisea, in quibusdam

versus apicem ferruginea nervis validis plerumque nigro-punctatis. Membrana et alæ albidæ. *Abdomen* supra nigrum, margine elevato pallido, vel immaculato, vel nigro-maculato. *Corpus* subtus in *Femina* semper viride, in *Mare* griseo-viride e ferrugineo mixtum. Spiracula punctis elevatis notantur. *Pedes* griseo-virescentes, pilosi, nigro-punctati.

Not. Invitus quasi tres species antecedentes distinxi; corporis enim structura, articulatione antennarum, pilositate et superficie simillimæ sunt; ideoque nullam invenies notam constantem, præter scutelli apicem. Diversas quoque esse Species vel ex eo concludendum, quod inter tantam utriusque sexus copiam C. magnicornis, neque ullum individuum C. crassicornis magnitudine, nec ullum structura apicis scutelli C. capitati invenire mihi contigit. C *clavicornis* Fabr. Rhyng. 201. 48. *Lygæus* Ent. Syst. 4. 168. 117. forte huc pertinet, specie vix diversus.

Obs. Notis a colore solum desumtis hæ species nequaquam discerni possunt. A Cor. nubilo mox distinguuntur thoracis structura et membrana elytrorum; a C. miriformi autem pilositate etc. Nullum est dubium, quin *puncta rubra, etjam in alis C. crassicornis* Linn. Fn. Sv. de *elytris* sint intelligenda.

8. C. miriformis oblongus virescens nudiusculus; antennis pedibusque rufis hirsutis.

Mas et Fem. Præcedente longior et angustior, magnitudine fere Miris lævigati. *Antennæ* cylindricæ, rufæ, hirsutæ, articulo primo et ultimo nigro breviori, crassiori: *Caput, thorax* et *scutellum* rufo-grisea, rugose-punctata, non pilosa, linea media thoracis elevata. *Elytra* submembranacea, brevia, nervis validis rufis; margo lateralis, membrana magna et alæ albida. *Pedes* rufescentes, pilosi, in vivis pallidi, ferrugineo-punctati. *Corpus* subtus viride vix pilosum. *Abdomen* dorso nigro, margine viridi elevato; subtus in *mare* viridi-griseum ferrugineo-punctatum.

Larva: oblonga, viridis, antennis pedibusque rufis hirsutis; abdominis linea dorsali nigra, rudimento elytrorum rufescente. *Fem:* virescens, *Mas:* grisescens.

Not. Species omnino distincta, a me capta excipulo juxta agros mense Augusto in Scania. Esperoed. et a D. Gyllenhal in Westrogothia. Copulatur vel ante vel post declarationem vel alterius vel utriusque sexus. Alatus tamen rarior occurrit. — Genitalia similiter constructa ac in antecedentibus; in maribus scilicet viventibus, compressione intra digitos facta, erumpit corpusculum corneum bilobum s. bicornutum, (haud aliter fere ac in Cimice baccarum, oleraceo etc.) quod feminæ deest. Ceterum structura ani externa in utroque sexu similis est.

9. C. hyoscyami rubro nigroque varius; membrana elytrorum æneo-fusca immaculata.

Lygæus Fabr. Rhyng. 218. 63. Ent. syst. 4. 149. 17. *Cimex* Linn. Fn. 945. De Geer Ins. 3. t. 14. f. 14. 15. Panz. Fn. 79. t. 21.

Mas et Fem. similes. Antennarum articulus ultimus oblongo-ovalis. *Pectus* et *abdomen* subtus rubra, triplici ordine nigro-maculata. *Pedes* pilosi. *Thoracis* linea antica transversa elevata. *Genitalia* priorum.

10. C. equestris rubro nigroque varius; thorace antice posticeque atro; membrana elytrorum nigra albo-maculata.

Lygæus equestris Fabr. Rhyng. 217. 57. Ent. syst. 4. 147. 43. *Cimex* Linn. Fn. 946. De Geer Ins. 3. 276. 19. Panz. Fn. 79. t. 19.

Mas et Fem. similes. *Pectus* et *pedes* nudi, nigra. *Abdomen* subtus rubrum, quadruplici ordine nigro-maculatum. *Membrana* elytrorum nigra: lunula in cruce et puncto medio, margineque summo albis. *Anus* niger.

Not. Viventem vidi in Uplandia, non in Scania. Affinis quidem est hæc species præcedenti, respectu picturæ; at fe-

mina genitalibus solummodo brevioribus a *Lygæo* differre videtur. Eadem ani structura in affinibus observatur exoticis, inprimis in Lygæis primæ sectionis Fabr. Syst. Rhyng. Sed hac in re omnes et singuli sveciæ Lygæi, infra descripti, discrepant.

LYGÆUS.

Rostrum inflexum capitis apici insertum. *Labium* elongatum, compressum, apice subulatum. *Antennæ* capitis apici (ante oculos) insertæ. *Fabr.*

Numerosæ hujus Generis Species dignoscuntur: corpore oblongo-ovali, antennis 4-articulatis, vagina feminæ ensiformi, longiuscula, in rima sub ano posita, tibiisque sæpius spinosis. — Constant antennæ in Familia prima e quatuor articulis subæqualibus, quorum ultimus interdum crassior, nec unquam ceteris tenuior, s. angustior. Corpus hujus Familiæ et elytra sunt magis duriuscula, et femora antica incrassata, dente sæpius instructa. Antennæ in Familia secunda e quatuor quoque constant articulis, quorum secundus longior, et ultimi angustiores, fere capillares. Corpus hujus Familiæ et elytra molliuscula sunt, et femora omnia simplicia.

Not. Species Familiæ secundæ ad Genus proprium referre voluit Ill. Fabricius, at notæ generis displicuerunt. — Larvæ primæ familiæ, ut et imagines, ad radices plantarum et arborum, in terra et sub lapidibus absconditæ, inprimis sunt obviæ. Larvæ autem familiæ secundæ, in plantis pratorum et arvorum, excipulo sæpius capiuntur.

Familia Prima.

Antennis versus apicem subcrassioribus

Sect. I. *Capite dilatato, oculis scilicet valde exsertis, thorace immarginato.*

1. L. grylloides niger thoracis elytrorumque marginibus albis.

Salda Fabr. Rhyng. 115. 7. *Acanthia* Ent. syst. 4. 69. 6. *Cimex* Linn. Fn. 910.

Habitat passim in pratis, mense Julio a me visus.

Mas et Fem. similes. *Corpus* apterum, nigrum nitidum, sub quadratum, supra planiusculum, impressopunctatum. *Elytra* coriacea, abdomine breviora; membrana vix ulla. *Pedes* pallidi. *Antennæ* subpilosæ, lineares. *Genitalia* hujus omnino Generis. L. leucocephalo sæpe minor.

Not. An Capsus? A ceteris hujus generis statura recedit, ad Genus proprium cum *Salda atra* et *albipenni* Fabr. forte mandandus.

2. L. urticæ æneo-griseus, elytris pedibusque pallidioribus infuscatis; abdominis margine albo maculato.

Lygæus Fabr. Rhyng. 231. 136. Ent. syst. 4. 166. 106.

Mas et Fem. similes. *Corpus* æneo-griseum, pilosum, supra impresso-nigro-punctatum. *Scutellum* apice albo. *Thorax* postice et *elytra* pallidiora, postice fusco-maculata: membrana albida, punctis plerumque 2 nigris notata. *Pedes* albo-nigroque variegati, pilosi, femoribus omnibus simplicibus. — *Abdomen* subtus in femina versus anum macula oblonga alba.

3. L. Thymi griseus, capite thoraceque rugose punctatis; elytris nervosis: lineola ante membranam nigra.

L. Thymi Wolff. Cim.

Habitat valde frequens in collibus graminosis Esperoed. Julio.

Mas et Fem. similes. *Corpus* totum griseum, pilosum, oculis nigris. *Thorax* in medio sæpe transversim depressus, et *scutellum* interdum lineola elevata notatum. *Elytra* thoracis latitudine, vix impresso-punctata, pallide grisea vel fusco-lineata, apice ante membranam nigro; membrana sæpius albida. *Pedes* infuscati, vel nigro-punctati.

Not. Habitus præcedentis, at triplo vel quadruplo minor. Larvæ hujus speciei excipulo e gramine sæpissime capiuntur. Variat β. elytris et membrana magis pictis, nigro-lineatis.

4. L. claviculus griseo-virescens antennis testaceis; clava et oculis nigris; elytris lævibus subpellucidis.

Raro occurrit in gramine sylvæ et in umbrosis, mense Julio detectus. Esperoed.

Mas et Fem. *Corpus* nudum, subtus et supra virescens, *sterno* fusciori. *Caput* et *thorax* griseo-viridia, impresso-punctulata. *Antennæ* et *pedes* testacea, mutica. *Apex* scutelli brunneus. *Elytra* lævia, nervis non conspicuis, postice ante membranam fusciora. Ipsa autem membrana et alæ alba nitentia.

Not. Antennarum clava distincta. Duplo minor est præcedente. Color in mortuis pallescit vel brunnescit.

Sect. 2. *Capite angustato, fronte brevi, subacuta; thorace sæpius marginato.*

5. L. pini ater, elytris griseis nigro-punctatis: macula rhombea nigra; tibiis spinosis.

Fabr. Rhyng. 229. 125. Ent. syst. 4. 163. 97. *Cimex* Linn. Fn. 956. De Geer Ins. 3. 279. 22. t. 4. f. 22.

Mas et Fem. similes. *Corpus* atrum, vix pilosum. Articulus primus antennarum crassior, brevior; ceteri æquales. *Thorax* marginatus, antice niger, postice fascia grisea nigro-punctata. *Elytra* grisea, nigro-punctata, opaca; macula communi atra, sæpius albo-terminata.

Membrana fusca vel atra opaca: punctis interdum obsoletis albis. Maculæ fulvæ ad basin pedum. *Pedes* atri, tibiis spinosis. *Femora* antica unidentata.

Var. β. L. *lynceus* Fabr. Rhyng. 231. 137. Ent. syst. 4. 166. 107.

Thoracis latera magis exserta, hinc pellucida, pallida. *Scutellum* lineolis apicis 2 fulvis notatum. Cetera ut in Var. α.

Not. Var β. magis picta, cum var. α mihi obvia in gramine sterilium, sub lapidibus et muscis, (ubi metamorphosin forte subeunt) in Scaniæ campis Pinu omnino destitutis.

6. L. nubilus ater, elytris griseis nigro-punctatis et albo-lineatis; tibiis submuticis.

Forte Cim. arenarius Linn. Fn.?

Mas et Fem. Statura var. præcedentis α at duplo minor. *Antennæ* nigræ, articulis ut in L. pini. *Thorax* lateribus non exsertis, fascia postica elytrisque griseis nigropunctatis: maculis aliquot ad apicem parvis nigris; membrana albida fusco-lineata vel tota alba. *Scutellum* nigrum, apice fulvo, nigropunctato. *Alæ* albidæ, fuscedine in margine exteriori notatæ. *Corpus* subtus atrum, ad lucem solis sericeo-nitens, at vix pilosum. *Pedes* nigri, basi et tarsis sæpe ferrugineis. Maculæ tamen ad basin pedum fulvæ huic non competunt, nec tibiæ nisi levissime spinosæ.

Not. Habitat juxta agros cum sequente. A præcedente diversus magnitudine, defectu maculæ elytrorum nigræ communis, tibiis vix spinosis, defectu macularum ad basin pedum, et membrana magis albida. An. *L. luscus* Fabr. Rhyng.?

7. L. nebulosus ater nitidus, elytris nebulosis nigropunctatis: macula media nigra, tibiis spinosis, anteriobus rufo-piceis.

Habitat frequens juxta agros in Scaniæ Esperoed.

MAS et FEM. similes. Statura L. pini var. β. at plus duplo minor. *Corpus* nitidum, subpilosum. *Caput* et *antennæ* nigra, pilosa. *Thorax* ater, marginatus, fascia postica grisea, nigro-punctata. *Scutellum* atrum apicis lituris 2 fulvis. *Elytra* grisea nigro-punctata, et nebuloso-maculata: maculis 2 in cruce majoribus nigris; membrana nebulosa. *Alæ* albo-nitentes. *Corpus* subtus atrum. *Pedes* atri femoribus anticis incrassatis, tibiis spinosis, anterioribus sæpe piceis. Maculæ ad basin pedum albæ.

Not. Ob maximam conspecierum affinitatem difficillime ab his distingvitur. Attamen observantur Corpus magis nitidum, pili antennarum, thoracis laterum et ventris rariores, maculæque ad basin pedum albæ, non flavæ. *Var.* β. ater, supra opacus, magis pictus, membrana nebulosa, alisque albis; hujus speciei videtur, paullo minor.

8. L. agrestis ater, elytris griseis nigro-punctatis: macula rhombea nigra; scutello nigro immaculato; tibiis spinosis.

Habitat cum præcedentibus.

FEM. Magnitudo et descriptio præcedentis, a quo differt corpore non ita nitido et scutello toto nigro. *Pedes* nigri, genubus et maculis ad basin testaceis. *Membrana* elytrorum vel infuscata vel albida, in vivis albonervosa. *Tibiæ* anticæ ferrugineæ. *Alæ* albæ.

MAS ater; articulo basali antennarum, tibiis anticis, basi pedum posteriorum et genubus testaceis. *Scutellum* aterrimum opacum. *Maculæ* ad basin pedum subtestaceæ. *Tibiæ* subspinosæ. Macula ad crucem nigra sæpe deficit. Copulatum non vidi.

9. L. chiragra niger pilosus; thorace transversim depresso scutelloque nigris immaculatis; tibiis spinosis, anticis ferrugineis,

An L. chiragra Fabr. Rhyng. 233. 144. Ent. syst. 4. 168. 113. mas?

Fem. Corpus nigrum subhirsutulum. *Antennæ* pilosæ nigræ, articulo secundo rufo. *Scutellum* magnum, longitudine elytrorum dimidia. *Membrana* nigricans, antice albo-maculata. *Pedes* nigri, tibiis anticis ferrugineis, subspinosis; femoribus anticis valde incrassatis, dente valido. Maculæ ad basin pedum nullæ.

Mas paullo minor et similis, tibiis anticis et basi femorum ferrugineis. *Antennæ thorax scutellum* et *membrana*, ut in femina, at corpus minus pilosum, an semper?

Fem. var. β. pedibus testaceis totis. Vix distincta.

Not. Facile distinctus structura thoracis et scutelli. Magnitudine L. nebulosum fere superat.

10. L. sylvaticus niger, supra impressopunctatus; thorace transversim depresso scutelloque nigris; pedibus unicoloribus subnudis.

Lyg. sylvaticus ater elytris fuscis Fabr. Rhyng. 229. 126. Ent. syst. 4. 163. 98.

Mas et Fem. Affinis præcedenti, duplo minor. *Corpus* nigrum, vix pilosum. *Antennæ* solum pilosæ nigræ. *Elytra* brunneo-grisea, impresso-punctata, macula media obsoleta. *Alæ* albæ. *Membrana* vel alba, vel fusca. *Pedes* fusci vel subtestacei vix spinosi, femoribus anticis crassioribus, muticis. *Scutellum* triangulare, longitudine quartæ partis elytrorum. Maculæ ad basin pedum vix ullæ.

Not. Ab antecedente distinctus corpore vix piloso, spinis tibiarum vix manifestis et scutello minori. Juxta agros cohabitant, non frequentes.

11. L. plebejus ater supra opacus impunctatus, thorace nigro transversim depresso; elytris brunneis.

An L. sylvestris Fabr. Rhyng. 232. 138. Ent. syst. 4. 166. 108? Panz. Fn. Germ.

MAS Supra opacus, impunctatus. *Antennae* nigrae vix pilosae. *Thorax* ater, subpilosus, postice transversim depressus, marginatus. *Elytra* fusco-brunnea, opaca, vix punctata: membrana nigricante, lunula antica alba. *Alae* albo-caeruleae. Subtus ater, pectore opaco, abdomine nitido. *Pedes* atri, maculis ad basin ferrugineis; femoribus anticis incrassatis, bidentatis, tibiis vix spinosis.

Not. Magnit. L. chiragrae; a quo distinctus colore, impressione etc. Raro occurrit. Femina non visa.

12. L. erraticus ater, thorace transversim depresso fascia postica elytrisque testaceis: membrana nigricante puncto albo.

Fabr. Rhyng. 232. 139. Ent. syst. 4. 167. 109.

FEM. *Caput*, antennae, *thorax* antice, scutellum, pectus et abdomen nigra, non pilosa. Margo *thoracis* elevatus, pallidus. *Thoracis* fascia postica et elytra antice pallidora: postice magis testacea; puncto medio minuto nigro; membrana nigricans puncto albo. *Pedes* toti ferruginei, tibiis muticis. Femora antica, ut in omnibus antecedentibus, incrassata. Maculae fulvae ad basin pedum adsunt. Praecedente paullo longior. Marem non vidi.

13. L. Rolandri ater opacus; elytrorum membrana macula rhombea flava.

Lygaeus Fabr. Rhyng. 230. 127. Ent. syst. 4. 164. 99.
Cimex Linn. Fn. 957. De Geer Ins. 3. 294. 84.

MAS Totus ater, supra opacus; membrana elytrorum macula magna flava. *Thorax* subquadratus, aequalis (non depressus). *Femora* antica paullo incrassata. *Tibiae* subspinosae. *Alae* fuscae. Maculae ad basin pedum nullae. Praecedente est latior.

14. L. abietis obscure ferrugineus, capite thoracisque antico et scutello nigris; corpore depresso postice dilatato.

Capsus abietis Fabr. Rhyng. 245. 23. *Cimex* ferrugineus Linn. Syst. Nat. 730. 99.

Mas et Fem. similes. *Corpus* depressum, planum, in medio posteriora versus dilatatum, nudum obscure ferrugineum. *Thoracis* fascia postica et *elytra* ferruginea opaca, vix punctata: membrana concolore pellucida. *Pectus* nigricans. *Pedes* omnes ferruginei, nudi, *femoribus* anticis incrassatis, unidentatis.

Var. β. Mas et Fem. Præcedenti simillima, at elytra magis testacea, lunula versus crucem fusciori, et membrana pallidiori. *Thorax* supra nitidior.

Miris abietis Fabr. Rhyng. 256. 16. *Cimex abietis* Linn. Fn. 969.

Obs. Hæ varietates non nisi colore magis vel minus pallido diversæ sunt. Plura individua (exsiccata) comparavi. A Speciebus hujus Familiæ statura abdominis latiori (vix aliter) discrepant.

15. L. sylvestris ater, thorace teretiusculo transversim sulcato; elytris pallidis: macula media et postica nigris.

Cimex sylvestris Linn. Fn. 965. verus.

Mas et Fem. Antennæ (in exsiccatis) testaceæ, versus apicem nigræ. *Corpus* nigrum opacum, antice subpilosum. *Caput* thoracis latitudine, oculis exsertis. *Thorax* immarginatus, subteres, antice angustior, pone medium transversim depressus, margine postice interdum rufescente. *Elytra* albida, in medio vel nigro-brunnea vel macula majori, et in apice puncto nigro notata: membrana albo et fusco-varia. *Pedes* testacei, femoribus anticis incrassatis nigris, dentatis, tibiis subspinosis.

Not. Raro mihi obvius. A thorace tereti aptius quam a pictura elytrorum (sæpe obsoleta et diversa) cognoscitur. Duplo major sequente, cui, structura thoracis excepta, similis.

16. L. *podagricus* ater, thorace marginato; postice brunneo, elytris albis: punctis in medio et macula postica nigris.

An *Lyg. podagricus* Fabr. Rhyng. 232. 142. Ent. syst. 4. 167. 111.?

Habitat juxta agros et radices arborum passim.

Mas et Fem. similes. *Corpus* atrum subnudum opacum, *abdomine* nitido. *Thorax* ater lateribus attenuatis albis, postice transversim depressus et brunneus. *Scutellum* atrum. *Elytra* antice albida, punctis in medio minutis, transversis, et macula versus apicem, nigris. *Membrana* infuscata. *Antennæ pedesque* vel testacea vel fusca. Femora antica valde incrassata, sæpius fusca. *Tibiæ* submuticæ.

Not. A præcedente optime dignoscitur: thorace marginato, nam pictura et color elytrorum in utraque Specie subsimilis. Forte *L. podagricus* Fabr., qui major est, ad aliam pertinet speciem. An *L. quadratus* Fabr? Jam antea monitum ivi Species omnes hujus sectionis femoribus anticis incrassatis sæpius dentatis esse instructas; ideoque notam specificam a structura femorum non esse adhibendam.

17. L. *rusticus* ater opacus, supra impresso-punctatus; elytris coriaceis immaculatis; pedibus piceis muticis.

Habitat frequens mense Septembri juxta agros. Esperoed.

Mas et Fem. *Corpus* viventis atrum non nitidum. *Antennæ* pubescentes, piceæ, articulo ultimo crassiori, fusco. *Caput* latitudine thoracis, oculis valde exsertis. *Elytra* coriacea, impresso-punctata, fusca, immaculata; membrana nebulosa. *Pedes* picei, tibiis muticis.

Var. α. Major, rudimento alarum et membranæ, in copula sæpe obvia.

Var. β. Minor, alis in utroque sexu completis albis, et membrana fusco striata; simillima varietati *α*, vix diversa.

Not. Inter minores hujus familiæ, præcedente brevior et latior.

18. L. *pedestris* ater nitidus, elytris brunnescentibus; antennis pedibusque luteis.

Habitat sat frequens cum præcedente.

Mas et Fem. Affinis præcedenti at paullo minor. *Corpus* (viventis) atrum supra nitidum, subpilosum, impresso-punctatum. *Antennæ* luteæ, vix pubescentes; articulo ultimo nigro. *Elytra* brunnea postice infuscata: membrana albida fusco lineata. *Pedes* toti lutei, vix spinosi.

Not. A. L. rustico distingvitur superficie nitida, colore, elytris subpellucidis et pedibus luteis.

19. L. *pusillus* ater opacus; thorace tuberculato; elytris angustatis, basi albis; pedibus ferrugineis.

Habitat in Westrogothia.

Fem. *Antennæ* longiusculæ, subfuscæ. *Corpus* nigrum, opacum, sericeo-pubescens. *Thorax* immarginatus, planiusculus, antice capitis latitudine, postice latior, tuberculo utrinque in humero. *Elytra* plana angustata, antice alba: membrana magna nigricante, punctis aliquot albis notata. Abdomen subtus convexum, pedibus totis ferrugineis, nudis. Femora antica subcrassiora.

Not. Species omnino distincta, magnitudine vix pulicis, ab hoc genere, respectu staturæ, paullo diversa, at simili genitalium structura. Detecta a. D. Gyllenhal, tempore veris, ad paludes sylvaticas et supra aquam agitata currens.

Sect. 3. *Capite angustato, fronte producta, truncata (minuti, planiusculi.)*

20. L. *nemorum* niger nitidus, capitis fronte producta, obtusa, elytris antice pallidis, postice fuscis; membrana apice nigro.

Cimex nemorum Linn. Fn. 953.

Habitat in arbustis, floribus et in gramine frequentissime.

MAS et FEM. *Corpus* nigrum, nitidum, nudum, planiusculum, oblongum, parvum. *Frons* producta ad longitudinem primi articuli antennarum: apice truncato. *Thorax* antice angustior, in medio transversim subsulcatus. *Elytra* puncto medio nigro sæpius notata, postice fusca; membrana puncto medio et macula magna apicis nigricante. *Alæ* cærulescentes, immaculatæ. Pedes vel lutescentes vel nigricantes; tibiis subspinosis. Femora postica interdum apice nigra. *Genitalia* generis Lygæi. Variat colore elytrorum:

Var. *α.* MAS et FEM. elytris pallidis, puncto medio et apice nigris, antennis basi pedibusque lutescentibus.

Salda sylvestris Fabr. Rhyng. 116. 17. *Acanthia* Ent. syst. 4. 76. 37. ubi synonymon Linn. delendum. — Wolff. Cim. 3. 90. t. 9. f. 84.

Var. β. MAS et FEM. elytris pallidis, puncto medio majori, et apice ante membranam nigris. *Lyg. fasciatus* ater elytris pallescentibus: fasciis duabus abbreviatis nigris. Fabr. Rhyng. 240. 187. *Acanthia* Ent. syst. 4. 71. 15. Omni parte Var. *α.* similis, nisi punctum elytrorum majus diceres.

Var. γ. elytris nigricantibus antice brunneis pedibus luteis vel nigris. *Salda nemoralis* Fabr. Rhyng. 116. 15. *Acanthia* Ent. syst. 4. 76. 35. ubi de alis pro membrana elytrorum fit mentio.

Var. δ. elytris basi pallidis, postice fuscis, tibiis pallidis.

Lygæus austriacus Fabr. Rhyng. 239. 181. (Puncta tria alba in membrana, non in alis, hac in specie semper adsunt.) *Cim.* gallarum ulmi De Geer 3. 279. 23.

Var. ε. elytris pallidis apice fuscis; pedibus lutescentibus.

Salda pratensis Fabr. Rhyng. 116. 16. *Acanthia* Ent. syst. 4. 76. 36.

Not. Præterea ad hanc speciem *Saldam serratulæ* et *campestrem* Fabr. esse referendas, puto. (Duas tantummodo varietates, scil. *α* et *γ*, commemorare satis erit) Faciem quandam L. abietis, uti voluit Ill. à Linné, habet, multo tamen minor. Non dubito, quin cum sequentibus in proprio genere, servata quoque methodo Ill. Fabricii, collocari possit. Victu tamen et structura genitalium cum Lygæo optime conveniunt. Larvam *L. nemorum*, exuvias deponentem, in humulo lupulo, mense Septemb. vidi. Aliam sub cortice arboris emortuæ larvam hibernanem, huic non dissimilem, observavi.

21. L. pygmæus niger nitidus, elytris testaceis: membrana albida.

Habitat in Westrogothia. D. Gyllenhal.

Fem. Valde affinis præcedenti, at minor; corpore scilicet breviori, magis ovato; antennis longioribus, basi, elytris totis tibiisque testaceis. *Membrana* vel immaculata, vel fusco-punctata: punctis minutis. *Thorax* transversim subsulcatus.

22. L. minutus niger nitidus, elytris lividis apice fuscis: membrana alba immaculata, pedibus testaceis.

Cim. minutus Linn. Fn. 941.

Fem *Antennæ* et *pedes* toti, testacea. *Elytra* hyalina, apice exteriori infuscata, membrana alba. *Corpus* nigrum nitidum. *Thorax* an transversim sulcatus? Præcedente minor, magnitudine pediculi. An distincta?

Not. Exsiccatum vidi specimen e Westrogothia missum.

23. L. exilis niger thorace antice transversim rugoso; elytris fuscis hyalinis: membrana immaculata metallice nitente.

Habitat in Scania.

Mas et Fem. Corpus nigrum, *abdomine* supra versus basin ferrugineum, an semper? *Thorax* antice rugis distinctis transversim notatus. *Elytra* nigra hyalina, nervo marginis validiori, punctoque ante membranam ob-

scuriori. Membrana et alæ nitent. *Pedes* nigri. Magnitudo dimidia pediculi.

Not. Captus excipulo in gramine sub fruticibus Esperoed, ob exiguitatem et agilitatem facile effugiens. Inventus quoque sub cortice arborum emortuarum a D. Gyllenhal in Westrogothia.

24. L. cursitans niger nitidus, thorace lævi, elytris pallidis apice fuscis; membrana immaculata, femoribus incrassatis.

Habitat cum præcedente. D. Gyllenhal.

Mas. *Corpus* (exsiccati) nigrum nitidum, thorace non sulcato. *Antennarum* articulus secundus crassior. *Membrana* elytrorum alba. *Pedes* picei, femoribus omnibus incrassatis.

Not. Præcedente vix major, et distinctus; at femina, pro specie rite determinanda, abest.

Familia Secunda.

Antennis elongatis versus apicem attenuatis.

Sect. I. *Virescentes (majores).*

25. L. chenopodii viridis, supra aureo-pilosus; femoribus nigro-punctatis.

Habitat in Chenopodio aliisque viaticis Scaniæ plantis frequens.

Mas et Fem. *Corpus* viventis viride, abdomine supra nigro et femoribus subtiliter nigro-punctatis. *Thorax* punctis 2 nigris distantibus, plerumque obsoletis vel nullis. *Scutellum* et apex elytrorum pallidiora membrana nigricante. *Alæ* æneo-nitentes. *Antennæ* rufescentes. *Tibiæ* spinosæ. *Mas* scutello et elytris in medio longitudinaliter nigro-vittatis.

Var. α. punctis thoracis 2 distantibus. ♂♀

Var. β. punctis thoracis nullis.

Var. γ. punctis thoracis 4 transversis nigris. ♂.

L. 4-punctatus Fabr. Rhyng. 235. 157. Ent. syst. 4. 172. 128. Abdomine subtus viridi; in Westrogothia inventus.

Not. Differt hæc species a subsequente, superficie aureo-pilosa, pilis rarioribus. Color in exsiccatis obsoletus. Magnitudo Cor. hyoscyami paullo angustior.

26. L. 2-punctatus viridis, supra nigro pilosus; thoracis disco punctis duobus nigris, femoribus immaculatis.

Fabr. syst. Rhyng. 235. 158. Ent. syst. 4. 172. 129. mas hujus speciei.

Habitat cum præcedente frequens, mense Julio.

Mas et Fem. *Corpus* nitidum viride, abdomine supra et punctis 2 thoracis approximatis minutis nigris. Caput (in vivis) et thorax antice sæpe flavescentia. *Alæ* nitentes. *Membrana* elytrorum magis vel minus nigricans. *Tibiæ* subspinosæ.

Not. Distingvitur thoracis punctis minutis et superficie nigro-pilosa: *Var β elytris vel fulvo vel ferrugineo vittatis,* in Maribus sæpius post mortem oritur.

27. L. 2-notatus viridis, thoracis maculis 2 et elytrorum vitta longitudinali nigris.

Fabr. Rhyng. 235. 159. Ent. syst. 4. 172. 130.

Captus a D. Gyllenhal juxta agros in Mosseberg Westrogothiæ.

Mas et Fem. Puncta thoracis majuscula, approximata. Vitta nigra elytrorum non nisi in detritis desideratur. *Elytra* virescentia, in *mare* subtestacea longitudinaliter vittata.

28. L. pabulinus viridis, nudus immaculatus, plantis nigris.

Miris pabulinus Fabr. Rhyng. 254. 5. Ent. syst. 4. 184. 5.

Cimex Linn. Fn. 947. De Geer Ins. 3. 293. 31.

In pratis copiose hospitatur ubique.

MAS et FEM. similes. *Corpus* totum viride immaculatum glabrum non pilosum. *Tibiæ* spinosæ, plantis nigris. *Alæ* æneo nitentes.

29. L. contaminatus virescens, elytris versus apicem leviter fusco-maculatis.

Habitat frequens in Westrogothia. Dom. Gyllenhal.

MAS et FEM. statura et magnitudo præcedentis, et diversa maculis aliquot in apice elytrorum obsoletis fuscis. *Abdomen* supra nigrum, an semper? *Pedes* immaculati, tibiis spinosis.

30. L. rugicollis virescens lævis, thoracis antico impresso, capite elytrorumque margine pallidioribus.

Habitat cum præcedente. D. Gyllenhal.

MAS et FEM. *Corpus* (exsiccati) virescens, nudum, capite margine thoracis elytrorumque pallidioribus. *Thorax* antice ruga elevata, in medio divisa, notatur. *Tibiæ* subspinosæ.

31. L. nassatus viridis immaculatus supra villosus; thorace subæquali; elytris margine ciliatis.

Fabr. Rhyng. 236. 167. Ent. syst. 4. 174. 136.

Habitat non frequens in pratis. Esperoed.

MAS et FEM. *Corpus* totum viride, supra brevissime villosum, margine tamen elytrorum magis perspicue ciliato. Hinc a præcedente diversus. *Tibiæ* spinosæ. *Alæ* æneo-nitent.

Not. Corpus in hac, ut in plerisque hujus sectionis speciebus, post mortem pallescit. Elytra tamen in *L. nassato* colorem læte viridem præ cæteris conservant, et margine piloso speciem distingvunt. *Rugæ* thoracis minus distinctæ sunt.

32. L. angulatus viridis, thorace immarginato, transversim sulcato; elytris subvillosis angustatis.

Habitat in Scaniæ et Westrogothiæ pratis non frequens.

Fem. Præcedente angustior, thorace magis compresso, et transversim sulcato: postice magis angulato, angulo nigro. *Caput* et *antennæ* (in exsiccatis) pallidiora; at elytra viridissima.

Not. A L. nassato vix distingvi potest, nisi structura thoracis attente conspiciatur. Pauca tantummodo exemplaria, quæ teneritate et mollitie corporis facile corrugantur, a me sunt visa.

33. L. chorizans oblongus pallidus pedibus posticis elongatis, scutello elytrisque maculis fasciisque interruptis viridibus. Panz. Fn. Germ. 18. f. 21.

Not. Unicum modo specimen diu asservatum adest. In Collectione autem D. Gyllenhal Mas et Femina adsunt, in fruticibus Westrogothiæ capta.

34. L. seladonicus griseo-viridis, supra nigro pilosus; opacus; elytris immaculatis.

Habitat in agris arenosis Scaniæ prope Kivik.

Mas et Fem. *Corpus* viride-opacum, supra nigro-pilosum. *Abdomen* supra nigrum. *Alæ* pulchre æneonitentes. *Tibiæ* spinosæ. *Antennæ* breviusculæ. Magnitudo fere L. pabulini.

35. L. molliculus pallide virescens, supra nigro-pilosus; elytris maculis fuscis et albis sparsis.

Habitat sat frequens in variis floribus arvorum. Esperoed.

Mas et Fem. *Corpus* viventis viride. Oculo armato pili brevissimi nigri apparent. *Elytra* albidiora, maculis obsoletis fuscis. *Tibiæ* spinosæ. *Alæ* æneo-nitent. Statura præcedentis, at duplo minor. *Mas* semper angustior, minor et mollior; elytris vix maculatis.

36. L. tanaceti corpore viridi, supra flavo-lutescens nigro-pilosus.

Hospitatur in Tanaceto Westrogothiæ. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. Statura et magnitudo omnino præcedentis, et forte mera ejus varietas, sed color in pluribus exsiccatis supra lutescens. *Femora* nigro-punctata? *Tibiæ* spinosæ. *Mas* elytris infuscatis, mare *L. molliculi* major, robustior et obscurior; hinc speciem diversam præsumo.

Sect. 2. *Elytris variegatis.*

a) *Majores.*

37. L. striatus niger, elytris flavo fuscoque striatis, apice pedibusque rufis.

Miris Fabr. Rhyng. 255. 15. Ent. syst. 4. 188. 14. *Cimex* Linn. Fn. 960. De Geer Ins. 3. 290. 29. t. 15. f. 14. 15.

Mas et Fem. *Corpus* læve, nigrum, abdominis segmentis anticis albo-marginatis. *Antennæ* obscure ferrugineæ, articulo tertio albo-annulato. *Thoracis* macula disci flava, in *Mare* major. Elytra fusca, nervis flavis, hinc striata videntur; apicè rufa. *Membrana* nigricans. *Pedes* rufi, tibiis subspinosis. *Scutelli* macula biloba flava.

Not. Rarior obvius; In Svecia superiori forte frequentior. Habitum *Miris* non habet. Inter Lygæos hujus Familiæ maximus est.

38. L. striatellus virescens, thorace punctis quatuor strigaque postica atris; elytris striatis: macula apicis alba.

Lygæus Fabr. Rhyng. 236. 164. Ent. syst. 4. 173. 133.

Mas abdomine atro: maculis 2 lateralibus pallidis.

Fem. abdomine pallido, sterno interdum fusciori. *Scutellum* in utroque sexu album immaculatum. Membrana elytrorum infuscata. *Pedes* pallescentes, femoribus rufescentibus, tibiis subspinosis.

39. L. *populi* pallescens albo fuscoque nebulosus. Fabr. Rhyng. 237. 171. Ent. syst. 4. 174. 138. *Cimex* Linn. Fn. 963.

MAS et FEM. Supra nigro alboque nebulosus, non nitidus, *scutello* concolore. *Elytra* apice alba; membrana nebulosa. *Antennarum* articulus primus pilosus. *Pedes* nebulosi, tibiis spinosis.

Not. Habitat in Scania non frequens. *Cimex umbratilis* Linn. Fn. 951. Varietas hujus speciei obscurior præsumitur.

40. L. *tiliæ* virescens, linea thoracis laterali fasciisque tribus elytrorum nigris.

Lygæus Fabr. Rhyng. 237. 169. Ent. syst. 4. 174. 173.

Habitat in Westrogothiæ Quercu rarior. D. Gyllenhal.

MAS et FEM. Magnitudo præcedentis. *Corpus* virescens supra non nitidum. Abdominis latera nigra. *Antennæ* et *pedes* variegata. *Elytra* fasciis tribus inæqualibus nebulosis; media antrorsum angulata.

Variat elytris subtestaceis.

41. L. *tunicatus* supra ferrugineus nigro irroratus, corpore elytrorumque margine flavis.

Fabr. Rhyng. 233. 148. Ent. syst. 4. 170. 121.

MAS supra obscure ferrugineus non nitidus.

FEM. pallide ferruginea.

Elytra summo margine exteriori flava. *Corpus* flavum, spiraculis nigris. *Tibiæ* vix spinosæ, pubescentes. *Alæ* fuscæ, nitentes.

Not. Magnitudo L. striati paullo minor. Viventem non vidi, ideoque rariorem apud nos existimo.

42. L. *ferrugatus* virescens nudus impunctatus; elytris roseo-maculatis.

Fabr. Rhyng. 236. 163. Ent. syst. 4. 173. 132. *Cimex* roseo-maculatus De Geer Ins.

Habitat valde frequens in plantis viaticis.

Corpus viride læve, nitidum. *Abd.* supra nigrum. *Caput* linea frontali pallida. *Elytra* interne et macula postica binata rosea. *Oculi* obscure rufi. *Tibiæ* subspinosæ.

Mas: thorace antice viridi: vittis 2 dorsalibus obsolete ferrugineis, quæ antice puncto nigro inchoantur; Scutello nigro: guttis 2 albis oblongis; antennis pedibusque rufescentibus.

Fem. thorace viridi: vittis 2 dorsalibus obsoletis vel nullis, punctis nigris deficientibus; scutello toto albo.

Not. Magnitudo L. 2 punctati.

43. L. sexguttatus niger lævis, scutello, maculis thoracis elytrorumque flavissimis.

Fabr. Rhyng. 237. 172. Ent. syst. 4. 174. 139.

Habitat passim in Scania.

Mas et Fem. similes. Magnitudo præcedentis. *Corpus* nigrum nitidum, *Thorax* niger, lineola antica macula oblonga dorsali et puncto utrinque marginali flavis. *Scutellum* semper cordato flavum. *Elytra* flavo nigroque varia: maculis 3 vel distinctis vel confluentibus; membrana nigricante. *Pedes* nigri, tibiis sæpe flavis, brevissime spinosis.

44. L. semiflavus niger aureopubescens, thoracis margine postico scutelli apice flavis; elytris flavo nigroque variis.

Miris semiflavus Wolff. Cim. 4. 154. t. 15. f. 48. *Capsus* unifasciatus Fabr. Rhyng. 243. 9. *Lygæus* Ent. syst. 4. 178. 153.

Hospitatur in floribus Galii, mense Julio in arvis Gyllebo.

Mas et Fem. similes. *Caput* pubescens non nitidum. *Thorax* niger, margine postico flavo. *Antennæ* basi lutescentes. *Scutelli* apex late flavus. *Elytra* flava, interne et fascia media nigra; Apex puncto nigro et

et præterea sæpius luteo-rufo maculatus; membrana nigricante. *Abdomen* nigrum, lateribus in femina tantum linea flava notatis. *Pedes* flavi, femorum apice sæpe nigro, tibiis spinosis.

Mas variat elytris nigris, margine antice flavo.

Var β. Mas et Fem. magnitudine minori, macula elytrorum apicis luteo-rufa deficiente; vix distincta species.

Var. γ. Fem. flavicans, aureo-pubescens; antennis lutescentibus; scutello flavissimo, elytrorum apice luteo-rufo; pedibus flavis: femoribus nigro-punctatis. Magnitudo varietatis *a*. Specimen vidi unicum. An propria species?

Not. Varietas thorace scutelloque atris immaculatis *Fabr.* mihi non cognita est.

45. L. thoracicus lutescens pilosus, capite thoracisque antico nigris: lineola dorsali et scutello apice albis.

Mas et Fem. *Corpus* fulvum, supra pilosum. *Antennæ* pilosæ, basi pallidiori. *Caput* nigrum nitidum. *Thorax* cordatus: antice macula biloba callosa; postice lutescens. Linea media capitis per thoracem transiens. *Scutellum* nigrum apice album. *Elytra* pallidiora immaculata, apice tantum fusco punctato: membrana infuscata. *Abdomen* supra nigrum margine viventis luteo; subtus luteum, pectore nigro. *Pedes* lutei tibiis spinosis.

Not. Mas ano fusco, an semper? Raro occurrit hæc species in gramine, mense Junio, Esperoed. Magnitudo sequentis.

46. L. fulvo-maculatus brunneo-fuscus aureo-pubescens, elytrorum apice fulvo: puncto nigro; pedibus lutescentibus nigro-punctatis.

Cimex fulvo-maculatus De Geer Ins. 3.

Mas et Fem. brunnescens vel nigricans, supra aureo-pubescens. *Elytra* immaculata, apice fulva vel pallida,

puncto nigro; membrana fusca. *Pedes* pallidi, in vivis semper nigro-punctati, tibiis spinosis.

Fem. variat. *α.* pallidior, thoracis punctis 2. 2. nigris; abdominis postico fulvo.

β. brunnea, thorace nigricante.

γ. nigricans, thorace nigro; elytris nigris, margine antico pallidis, macula postica rufa.

Mas semper nigricans, coleoptrorum apice albo: puncto nigro.

Not. Puncta pedum post mortem facile evanescunt. — Habitat frequens in Urtica.

47. L. ulmi rubiginosus, membrana elytrorum albo nigroque varia: nervo sangvineo; femoribus pallidis pilosis.

Cimex ulmi Linn. Fn. 964. *Miris* Fabr. Rhyng. 256. 17. Ent. Syst. 4. 188. 16.

Miris longicornis Wolff. Cim. 4. 155. t. 15. f. 149.

Habitat rarissime in Westrogothia D. Gyllenhal.

Mas et Fem. *Corpus* (in exsiccato) rubiginosum immaculatum, an aureo pilosum? *Antennæ* basi pilosæ. *Membrana* fusca, maculis in margine albis. *Femora* pallidiora, pilosa, *tibiæ* spinosæ.

48. L. revestitus supra testaceus, capite corporeque nigris nitidis.

Miris pallens Fabr. Rhyng. 254. 8. Ent. syst. 4. 185. 7.

Cimex melanocephalus Linn. syst. Nat. 728. 88.

Mas et Fem. similes. *Corpus* et *caput* nigrum, nitidum, antennis pedibusque pallidis. *Thorax* et *elytra* testacea glabra non pilosa, immaculata, membranæ apice infuscato.

Not. Minor præcedente, thorace angustiori, hujus omnino generis. — Cum L. pallente Fabr. non confundendus. Habitat apud nos non frequens. Nomen dedit D. Gyllenhal.

49. L. coryli angustatus niger nitidus, antennis pedibusque albis.

Fabr. Rhyng. 234. 150. Ent. syst. 4. 171. 123. *Cimex* Linn. Fn. 974.

Hospitatur inprimis in Corylo et Alno,

Mas et Fem. similes. Statura oblonga præcedentium angustiori. Totus niger, antennis pedibusque viventis albis. *Tibiæ* posticæ spinosæ.

50. L. pratensis viridi-rufescens nitidus, macula ventrali nigra; supra impresso-punctatus; scutello cordato albo.

Fabr. Syst. Rhyng. 234. 155. Ent. syst. 4. 171. 126. Cimex Linn. Fn. 949?

Mas et Fem. Supra impresso-punctatus nitidus, minime pubescens, colore variabili plerumque testaceo. *Apex* elytrorum pallidior, puncto minuto nigro: membrana vix maculata. *Thorax* antice calloso-punctatus, i. e. ruga elevata bifida notatus (ut in plerisque hujus Familiæ speciebus) vel immaculatus vel nigro-lituratus. *Scutellum* cordato-album, interdum vittis 2 albis notatum. *Abdomen* viventis supra nigrum, subtus viride, macula ventrali nigra. *Femora* viridi fusco variegata, tibiis spinosis.

Mas: corpore semper rufescente.

Fem: corpore magis virescente.

Not. Habitat frequentissime in pratis. Variat α. elytrorum medio rufescente, β. elytris viridi-griseis, pone medium macula fusca. *Illa* mense Junio et Julio *hæc* mense Septembri occurrit. Color et pictura post mortem mutatur. A præcedentibus tamen, punctis impressis, facile distingvitur.

51. L. campestris virescens, supra impresso-punctatus scutello albo-maculato; elytris griseis subpubescentibus: macula infuscata.

Cimex campestris Linn. Fn. 950. forte; non Fabr.

Habitat cum præcedente frequens mense Aug. et Sept. in agris demessis.

Mas et Fem. Structura L. pratensis, at paullo minor, colore corporis variabili. Supra impresso-punctatus. *Caput* et *thorax* glaber in vivis nigro et viridi-maculatus. *Scutellum* sæpius guttis 3 albis distinctum. *Abdomen* supra nigrum, subtus in margine notatum punctis minutis albis, sub quibus aliæ maculæ majores in segmentis formant lineam. *Elytra* grisea non nitida, forte pube brevissima obtecta, maculis pone medium fuscis s. brunneis. *Pedes* nigro marmorati, tibiis spinosis. *Alæ* æneo valde nitent.

Not. A priori difficillime dignoscitur. Elytra tamen minus nitida, vel quasi pubescentia conspiciuntur. Color et in vivis et in mortuis mutabilis; pictura enim abdominis in exsiccatis plane disparet. Sæpius autem adsunt tres maculæ albæ in scutello, et rarius macula ventralis nigra. — *L. campestrem* Fabr. cum *L. ferrugato* conjungimus.

52. L. rufipennis viridis lævis, elytris totis rufescentibus, pedibus immaculatis.

Habitat in Westrogothia a Nob. D Gyllenhal detectus.

Mas et Fem. Statura L. ferrugati duplo minor. *Antennæ* elongatæ. *Corpus* viride immaculatum, neque punctatum nec pilosum, thorace dilutiori, abdomine supra nigro. *Scutellum* et *elytra* tota rufescentia, membrana æneo-nitente, nervoque sangvineo. *Pedes* virides, tibiis spinosis. — *Maris* elytra magis rufescunt.

53. L. rubicundus virescens, abdomine supra et macula ventrali nigris; elytris testaceis subpubescentibus immaculatis.

Mas et Fem. Affinis L. campestri et forte mera ejus varietas minor. Supra vel totus testaceus, vel *thorace* virescenti subtiliterque punctulato, ruga biloba ordina-

ria. *Elytra* impunctata, pube brevissima, forte aurea, prædita, immaculata: membrana infuscata, nervo sangvineo. *Abdomen* subtus testaceum macula ventrali nigra. *Antennæ* breves. *Pedes* testacei, tibiis subspinosis.

Mas corpore obscuriore, thoraceque postice fusco.

Not. Non nisi pauca specimina exsiccata vidi a Nob. D. Gyllenhal e Westrogothia et a D. Sahlberg e Finlandia missa. Elytra unicolora et antennæ breviores speciem a L. campestri distingvere videntur.

54. L. limbatus virescens, nudus, supra niger, capite elytrorumque margine exteriori pallidis.

Habitat in Finlandia, D. Sahlberg.

Mas. Statura L. campestris, præcedente longior. Subtus virescens, supra punctatus nitidus. Caput pallidum, oculis antennisque fuscis. *Thorax* niger, antice pallidus. Scutellum et elytra nigra: margine late pallido. *Femora* postica apice rufescunt. *Tibiæ* spinosæ.

Not. Femina abest.

55. L. viridis, viridis lævis, elytris interne et maculis posticis fuscis.

Habitat in Westrogothia.

Mas et Fem. Corpus viride, abdomine supra nigro. *Thorax* impunctatus glaber, margine postico fusco. *Scutellum* viridi-flavum. *Elytra* viridia, margine interiori et maculis obsoletioribus apicis fuscis. *Pedes* virides, tibiis spinosis. *Antennæ* elongatæ. Magnitudo omnino præcedentis.

Not. Marem exsiccatum vidi. Adest uterque sexus colore simili in Collectione Nob. D. Gyllenhal, qui hanc et ceteras species a se detectas benevole mecum communicavit et nominavit.

b) *Minores.*

56. L. flavovarius supra nigricans nitidus, elytris antice et macula postica pallidis; scutello, abdominis medio pedibusque flavis.

Capsus Fabr. Rhyng. 243. 10. *Lygæus* Ent. syst. 4. 178. 154.

Mas et Fem. similes. Supra subtilissime impresso-punctulatus, nigro et flavo varius. *Abdomen* (Viventis) flavo-viride, lateribus luteo s. nigro punctatis. *Thorax* nigricans, antice linea collari et vitta dorsali viridi sæpe quoque transversim nigro notatus. *Scutellum* cordato-flavissimum, in *Mare* sæpe nigrum apice flavo. *Elytra* antice et macula postica albidiora, puncto nigro terminali: membrana et alæ æneo-nitentia. *Femora* postica apice fusco-annulata.

Not. Habitant sat copiose in Pastinaca sativa, mense Septembri, et imago et larva. Pictura post mortem evanescit, manente colore abdominis flavissimo.

57. L. pastinacæ læte viridis nitidus, elytris interne et macula postica nigris; scutello viridissimo.

An *L. transversalis* Fabr. Rhyng. 238. 175. Ent. syst. 4. 175. 142?

Mas et Fem similes. Summa affinitas et magnitudo præcedentis. Supra virescens, subtilissime impresso-punctulatus, nitidus. *Antennæ* fuscæ, primo articulo viridi. *Thoracis* ruga antica ordinaria, nigra. *Scutellum* cordato-viridissimum. *Elytra* hyalina viridia, interne et macula ante apicem nigra. *Abdomen* viridissimum, tergo, pectore et sæpe macula ante anum nigris. *Pedes* virides, tibiis spinosis ungvibus nigris.

Not. Habitat frequens in pastinacæ sativæ floribus, mense Junio et Julio. Larva tota virescens. A præcedente vix diversus nisi colore viridissimo, qui in exsiccatis quoque conservatur. An Species distincta?

58. L. punctulatus niger supra impresso-punctatus nitidus; elytris pallidis: punctis duobus apicis nigris.

MAS. *Caput, antennæ, abdomen* et *femora* nigra. *Thorax* niger vittis 3 pallidis. *Scutelli* puncta 3 pallida. *Elytra* pallida, nitida et distincte impresso-punctata, puncto versus apicem costali et altero terminali nigro. Membrana et alæ albidæ. *Tibiæ* albo-annulatæ.

Not. Statura et magnitudo omnino L. flavovarii, at diversus qua superficiem distinctius et profundius impresso-punctatam. Femina deest; nec nisi unicum vidi marem, in Scania ab alio Collectore inventum.

59. L. tripustulatus niger nitidus; capite, scutello maculisque tribus elytrorum flavis.

Fabr. Syst. Rhyng. 239. 182. Ent. syst. 4. 176. 145.

Habitat sat frequens in Urticis et in Humulo.

MAS et FEM. similes. Magnitudo L. flavovarii. Niger, nitidus. *Caput* antennæ et pedes nigro flavoque variegata. *Thorax* varius, sæpius antice et lineola media flava. *Scutellum* cordato-flavum. *Elytra* maculis tribus in margine exteriori flavis: puncto terminali nigro. Membrana infuscata. *Tibiæ* spinosæ.

Not. Pictura flava in rufo-luteam post mortem abit.

60. L. nigrita niger aureo-pubescens; elytrorum apice lutescente, femoribus nigris immaculatis; tibiis albo-annulatis.

Habitat in Westrogothia, a Nob. D. Gyllenhal missus.

MAS et FEM. Magnitudo præcedentis. *Corpus* totum nigrum, pilis aureis brevissimis facile deterendis obsitum. *Antennæ* nigræ. *Elytrorum* apex luteo-maculatus vel saltim luteo-nervosus. *Membrana* nigra. *Femora* tota nigra, tibiis sæpius distincte albo-annulatis.

Not. A sequente diversus inprimis colore pedum antennarumque. Marem tibiis totis nigris vidi.

61. L. Gyllenhalii niger opacus argenteo-pubescens, elytrorum apice luteo; femoribus pallido nigroque variegatis, tarsis pallidis.

Habitat in Scania.

Mas et Fem. Statura præcedentium paullo minor, et membrana elytrorum in vivis reclinata. *Corpus* nigrum opacum. Pili breves cito avelluntur. *Antennæ* basi pallidæ. *Thoracis* summus margo posticus pallidus. *Elytra* apice macula aureo-lutea, membrana infuscata, nervo luteo, et alæ æneo pulchre nitent. *Femora* pallide brunneo nigroque variegata, tarsis albis.

Not. Frequenter occurrit in locis aridis et graminosis, mense Augusto Esperoed. in agro Nyvång.

62. L. variabilis nigricans, supra aureo-pilosus; elytris nigro-rubiginosis, alis cæruleis; antennis et tibiis nigro-spinosis pallidis.

Habitat in fruticibus.

Mas et Fem. *Corpus* nigrum pube contactu mox avellenda. *Antennæ* pallidæ. *Elytra* rufescentia apice dilutiori sæpius macula sangvinea notato; membrana nigricante. *Alæ* cærulescentes. *Femora* in exsiccatis nigra impunctata, apice tibiisque pallidis nigro-spinosis.

Variat α. femoribus nigris.

β. femoribus pallidis nigropunctatis.

Not. Sequente minor. Species dubia, donec plura utriusque sexus specimina inter se comparata exhiberi possint.

63. L. mutabilis nigricans elytris rubiginosis, alis cærulescentibus antennis pedibusque albidis.

Cimex mutabilis Linn. Fn. 967.

Mas. Præcedenti valde similis, excepto colore (in exsiccato) et longitudine pedum; femora enim et tibiæ pallida impunctata. *Antennæ* albæ immaculatæ, elongatæ. *Pedes* elongati femoribus longioribus et tenuio-

ribus quam in affinibus. Elytrorum apex ante membranam rufescens.

Not. Differt a L. coryli, corpore paullo robustiore et macula apicis elytrorum. Feminam non vidi, nec nisi unicum marem.

64. L. ambiguus rubiginosus, pilosus alis cæruleis; pedibus pallidis antennisque albis: articulo secundo apice nigro.

Habitat in Westrogothia et in Scania non frequens.

Mas et Fem. Duplo major L. variabili et robustior. *Corpus* (exsiccati) nigricans vel fusco-ferrugineum, aureo-pilosum. *Elytra* subferruginea, apice ante membranam rufo. *Antennæ* albæ, articulo primo toto et secundo apice nigro. *Pedes* pallidi, tibiis nigrospinosis.

Not. Femora crassiora et breviora sunt quam in L. mutabili. *Var.* β. pedibus subrufis thoraceque interdum rufo-maculato.

65. L. roseus flavescens, supra aureo-pilosus roseus; elytris apice concolore, alis cærulescentibus.

Fabr. Rhyng. 238. 178. Ent. syst. suppl. 542. 143.

Hospitatur in fruticibus.

Mas et Fem. similes. Flavescens, supra roseus pube cito detergenda. *Elytrorum* apex ante membranam puncto lætiori. *Antennæ* et *pedes* pallida, femoribus viventium apice nigro-punctatis. *Tibiæ* spinosæ, ad basin spinarum nigræ. *Membrana* fuscior et *alæ* pulchre cærulescentes. *Oculi* nigri.

Var. β. colore obscuriori et fusco-ferrugineo an Species distincta? *Pedes* ut in var. α colorati.

Not. Color in exsiccatis bene conservatur.

66. L. sangvineus sangvineus, supra aureo-pilosus, elytris apice ante membranam albo.

Fabr. Rhyng. 238. 179. Ent. syst. 4. 175. 144.

Mas et Fem. Præcedente paullo minor et distinctus colore sangvineo et imprimis elytrorum apice (ante membranam) albo. Ipsa membrana et alæ magis quoque albescunt.

Not. Habitat cum præcedente.

67. L. tenellus virescens nudus supra pallidior, pedibus impunctatis.

Habitat in gramine non frequens. Esperöd.

Mas et Fem. Statura priorum. Totus flavo-virescens, *oculis* nigris. Distinctus superficie non pilosa, pedibus impunctatis, tibiisque vix spinosis.

Not. Albescit post mortem, et propter teneritatem ægre affigitur acu.

68. L. arbustorum supra pilosus olivaceus, capite nigro; femoribus nigro-punctatis.

Fabr. Rhyng. 238. 174. Ent. syst. 4. 175. 141.

Var. α. Fem. nigra, pedibus olivaceis nigro-punctatis.

Var β. Fem. corpore nigro, supra olivacea.

Mas utriusque varietatis elytrorum macula ante membranam fulva vel alba.

Magnitudo priorum. *Caput* et *corpus* nigra, nitida. Pedes pallide virescentes, nigro-punctati, tibiis spinosis. *Membrana* antice lunula alba. *Alæ* cærulescunt. *Oculi* viventis ferruginei.

Not. Color in exsiccatis mutatur. Manet tamen nigredo capitis, et pictura pedum. *Pili* nigricantes rariores facile deteruntur. Habitat copiosissime in Urtica dioica et in aliis plantis viaticis, in arbustis rarior.

69. L. viridulus pallide virescens, supra nigro-pilosus; pedibus nigro-punctatis.

Mas et Fem. similes. Virescens totus oculis fuscis, nervisque ante membranam albis; ipsa autem membrana

nigricans, puncto interdum antice nigro et lunula alba notata. *Antennæ* fuscæ vel virescentes: articulo primo nigro-punctato. *Tibiæ* spinosæ. *Alæ* nitent.

Not. Post mortem potius albescit, quam fuscescit. Pubes autem contactu perit. Hospitatur frequentissime in gramine pratorum. Esperoed. Forte *M. chrysanthemi* Wolff?

70. L. rubricatus flavo-rufescens; elytrorum puncto terminali, femoribusque posticis apice sangvineis.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) flavescens, supra subtestaceum. *Elytra* pilosa? summo apice ante membranam sangvineo. *Antennæ* et *pedes* pallida, femoribus posticis apice sangvineis, tibiis spinosis. Magnitudo L. variabilis, forte angustior.

Not. Detectus in Pinu Abietis Westrogothiæ a Nob. D. Gyllenhal.

71. L. ericetorum flavescens, elytris viridibus: puncto terminali fulvo.

Habitat in floribus Ericæ vulgaris Westrogothiæ. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) flavescens, supra vel viride, vel capite scutelloque flavescentibus. *Elytra* viridia apice ante membranam flavescente vel fulvo. *Antennæ* et *pedes* pallida. Longitudo præcedentis, at angustior.

72. L. Thunbergii nigricans, supra opaco-luteo-virescens nigro-pilosus; linea media thoracis elytrorumque striis pallidioribus.

Habitat frequens in gramine frutetorum. Esperoed mense Julio.

Mas et Fem. Supra luteo-virescens non nitidus, capite glabro, lineola quæ thoracem et scutellum transit albida vel flavescente. *Thorax* antice maculis 2 cicatriciformibus, s. ruga bifida nigra. *Scutellum* punctis 2 ni-

gris impressum. *Elytra* striata, nervis scilicet pallidioribus: interstitiis nigro-pilosis. *Abdomen* nigricans, pectore et apice segmentorum pallide virentibus. *Pedes* virescentes, femoribus nigro-punctatis, tibiis subspinosis. *Magnitudo* L. arbustorum.

Mas: abdomine magis nigro.

73. L. Paykullii læte viridis supra nigro pilosus, elytris albidis: membrana nigricante antice albo-nervosa; pedibus immaculatis.

Habitat in Scania.

Mas et Fem. *Corpus* totum læte viride, antennis et oculis fuscis. *Pedes* et *elytra* pallidiora, immaculata; membrana nigricans: antice albo-nervosa et lunula alba interdum notata. *Alæ* albo-cæruleæ pulchre nitent. *Pedes* in Mare fusciores.

Not. Præcedente parum minor. Inventus prope Kivik in arvis arenosis, non autem intra fines prope adjacentis villæ Esperoed visus. Supra pilis rarioribus nigris, minime contactu deterendis, tegitur.

74. L. filicis piceus nitidus, capite pedibus elytrorumque margine pallidis.

Cimex filicis Linn. Fn. 919 verus. *Acanthia* filicis Wolff. Cim. 2. 46. t. 5. f. 43.

Mas et Fem. Statura L. flavovarii, at triplo minor. *Corpus* piceum, depressiusculum, nitidum, antennis basi pallidis, oculis fuscis. *Tibiæ* muticæ? *Thorax* oculo bene armato impresso-punctulatus conspicitur.

Not. Minimus hujus Familiæ est, mihi nondum obvius, at a Nob. D. Gyllenhal in Filicibus Westrogothiæ copiose lectus. Descriptio Linn. Fn. Speciei non usque adeo quadrat.

Sect. 3. *Antennarum articulo secundo apice subincrassato.* *(statura præcedentium)*

75. L. danicus corpore ferrugineo nudo, supra impresso-punctatus; antennis subhirsutis, basi et clavicula articuli secundi elytrorumque sutura nigris.

Capsus Fabr. Rhyng. 246. 25. *Lygæus* Ent. syst. 4. 181. 165. Wolff. Cim. 1. 34. t. 4. f. 34.

Fem. Statura ovata, ceteris Sveciæ Lygæis crassior et robustior. *Antennæ* subhirsutæ, articulo primo et apice secundi incrassato nigris, ultimis tenuibus albis. *Corpus* ferrugineum, subnudum, capite et scutello pallidiori lævibus. Thorax et elytra impresso-punctata. Maculæ thoracis binæ posticæ, elytrorum sutura maculaque marginalis postica, nigra. Membrana subimmaculata, nervo fusco. *Abdomen* undique ferrugineum nitidum, ano nigro. *Femora* posteriora basi nigra.

Not. Marem, a me non visum, ab Ill. Fabricio fuisse descriptum jure opinor. Femina in Museo Nob. D. Gyllenhal asservatur, mihi describendi gratia missa et in Svecia capta.

76. L. gothicus corpore ferrugineo piloso supra impresso-punctatus testaceus; antennarum articuli secundi apice incrassato obscuriori.

Habitat rarior in Pinu sylvestri Westrogothiæ D. Gyllenhal.

Mas et Fem. *Corpus* (exsiccati) ferrugineum, nitidum, pilosum, oculis fuscis. *Antennæ* distincte pilosæ, testaceæ, articuli secundi apice obscuro, crassiusculo. *Thorax* et *elytra* pilosa, impresso-punctata. Nervus marginalis elytrorum albo et nigro punctatus. *Ruga* elevata ordinaria thoracis, scutellum et apex elytrorum rufa. *Membrana* æneo nitens, apice nebuloso,

nervo sangvineo s. fusco. *Pedes* pilosi. *Corpus* in *Mare* obscurius.

Not. Magnitudo L. campestris, paullo robustior, et structura L. danici. Hæ species, quoad structuram capitis angustioris etc. cum Lygæo melius quam cum Capso conjunguntur.

Sect. 4. *Corpore obtuso, subquadrato. (Capite dilatato. Capsiformes.)*

77. L. leucocephalus obscure niger nitidus, capite pedibusque rufis.

Fabr. Rhyng. 237. 173. Ent. syst. 4. 195. 140. *Cimex* Linn. Fn. 940. De Geer Ins. 3. 290. 28.

Mas et Fem. similes. Statura subquadrata, crassior. Niger, nitidus, supra punctulatus, brevissime pilosus. *Caput* rufum, oculis nigris. *Alæ* nigricantes. *Pedes* rufi, femoribus et tibiis pilosis. Habitat in gramine sylvarum.

Var. β. capite nigro.

78. L. luridus testaceus subnitidus, punctis duobus thoracis brunneis, abdomine supra fusco; pedibus immaculatis.

Fem. Statura et habitus omnino præcedentis paullo minor. Supra punctulatus, nitidus et subvillosus?; scutello pallidiori. *Thoracis* maculæ infra oculos et oculi brunnea. Membrana et alæ subnigricantes. *Abdomen* supra fuscum. *Pedes* toti testacei, tibiis subspinosis.

Not. Species dubia; nec nisi unicum vidi specimen, in Scania prope Kivik in agro arenoso captum. Valde affinis sequenti et forte mera ejus varietas; differt tamen capite paullo angustiori, superficie supera minus profunde punctata, et pedibus impunctatis. An nuper exclusus?

79. L. pinastri supra impresso-punctatus, corpore nigricante; capite pedibusque testaceis: femoribus apice nigro-punctatis.

Mas corpore nigro, capite testaceo; antennis pedibusque pallidis, femoribus basi nigris apice nigro-punctatis. Thorace nigro; elytris vel nigris vel fusco-brunneis.

Fem. corpore nigro, ano pallido. Antennæ et pedes, ut in Mare. Thorax in aliis totus nigricans, in aliis testaceus, antice collari nigro vel brunneo. Elytra in aliis tota testacea, in aliis macula postica nigra, antice testacea. Variat quoque pedibus totis testaceis; femoribus tamen apice nigro-punctatis.

Not. Hac in Specie, a Nob. D. Gyllenhal in frondibus Pini sylvestris detecta, color tantummodo capitis et puncta femorum constans videtur nota. Plura ad me missa sunt specimina, habitu L. leucocephali, similia, (licet paullo minora,) antennisque longioribus prædita. Vestigia pilorum nulla; in viventibus forte detegenda.

80. L. pallicornis niger nitidus antennis tibiisque albis impunctatis, femoribus posticis incrassatis.

Habitat frequentissime in gramine saltitans.

Mas et Fem. Minutus. *Antennæ* elongatæ et *tibiæ* submuticæ, albæ. *Femora* postica crassa. *Membrana* elytrorum nigricans. *Alæ* nitent. Saltat ut pulex.

Var. β. aptera; elytris abbreviatis. *Salda pallicornis* Fabr. Rhyng. 115. 6. *Acanthia* Ent. syst. 4. 69. 5. *Cicada aptera* Linn. Fn. 894.

Not. Specimina alata, rariora, in villa Esperoed inveniuntur; aptera autem frequentissima, sæpe copulata.

81. L. pulicarius niger nitidus, tibiis albis nigro-punctatis; femoribus posticis incrassatis.

Habitat frequentissime in pascuis aridis, Esperoed.

Mas et Fem. similes. Statura præcedentis alati, duplo vel triplo minor. *Antennæ* vel pallidæ vel fuscæ in medio albæ. *Femora* apice, et *tibiæ* spinosæ nigro-punctatæ alba. *Alæ* nitent.

Not. Manu Collectoris, humi jacentis, capitur.

82. L. saltitans niger, elytris abbreviatis albidis: fascia media nigra; femoribus posticis incrassatis.

Mas et Fem. Magnitudo præcedentis. *Antennæ* nigræ. *Corpus* nigricans. *Elytra* abbreviata pallida, fascia media nigra. *Pedes* nigri, tibiis pallidis. *Alæ* nullæ. An rite declarata?

Not. Habitat cum præcedente, copiose saltitans ad littus prope Stenshufvud, ad radices graminis, mense Augusto. Pupam fore L. pulicarii suspicatus sum, at metamorphosin ejus diu et frustra quæsivi, nec illum in aliis locis et a littore longinquis, versantem inveni.

CAPSUS.

Rostrum inflexum. *Vagina* articulo primo subtus gibbo. *Labium* breve subulatum basin primi articuli vaginæ tegens. *Antennæ* 4-articulatæ, articulo secundo apice crassiori, ultimis duobus tenuissimis. *Fabr.*

Species nostræ valde affines sunt Generi Lygæo, cum quo conveniunt: *corpore* oblongo-ovato vel crassiori vel angustiori, *antennis* 4-articulatis versus apicem attenuatis capillaribus) mollitie corporis, vestitu pilorum, spinis tibiarum et structura genitalium, at differre videntur structura *thoracis* antice magis dilatata, *oculis*que valde prominulis, partem thoracis anteriorem superantibus.

Victus in gramine cum Lygæo communis; *metamorphosis* autem sæpius aberrat; Femina enim nondum haud rite explicata copulationem patitur.

Obs. Crassities articuli antennarum secundi, pro genere Capso a ceteris distinguendo, inconstans tantummodo est nota. Apicem hujus articuli in speciebus Sectionis primæ incrassatum semper observavi; at in sequentibus omnes articuli vel lineares (ut in C. agili) vel in sexu alterutro inæquales sunt, et in larvis femineis, (ut in C. flavomaculato) inprimis crassitiem hujus articuli secundi videbis distinctam, quæ quidem crassities in imagine completa non manet. Hæc antennarum structura in quibusdam Lygæi speciebus quoque observatur, ut in *L. danico* et *gothico*; harum tamen specierum locum in Lygæo facile excusabis, ubi structuram capitis thoracisque et metamorphosin conspexeris. Omnes enim Capsi species capite dilatato et valde exserto constructæ sunt. Ceterum quoque, forsitan omnes, ante explicationem completam, feminæ copulantur, et in quibusdam incompleta semper manet femina.

Sect. I. *Corpore ovato-oblongo (alati).*

1. C. **ater** corpore ovato nigro; antennis apice capillaribus.

Fabr. Rhyng. 241. 2. *Lygæus* Ent. syst. 4. 177. 149. *Cimex* Linn. Fn. 944.

Mas et Fem. *Corpus* crassum, ovatum, supra punctulatum. *Thorax* maculis 2 confluentibus callosis. *Elytra* magis opaca: membrana nigra. *Abdomen* atrum, nitidum. Basis pedum et rostri plerumque ferruginea. *Tibiæ* subspinosæ. Antennarum articulus ultimus basi albus.

Var. α. niger, pedibus vel nigris vel rufis vel rufo-maculatis ♂♀.

Var. β. niger, capite thorace pedibusque rufis. ♀.

Capsus flavicollis Fabr. Rhyng. 243. 13. *Lygæus* Ent. syst. 4. 178. 156. *Cimex semiflavus* Linn. Syst. 68.

Var. γ. niger, capite pedibusque rufis. ♂.

Not. Rubedo post mortem in nigredinem haud raro abit.

2. C. albomarginatus niger hirsutus; elytris margine albis.

Capsus Fabr. Rhyng. 245. 24. *Lygæus* Ent. syst. 4. 180. 164.

Habitat in pratis.

Mas et Fem. similes. Corpus oblongum nigrum hirsutum, antennis pedibusque pilosis. *Elytrorum* margo exterior et lunula supra oculos alba. Membrana et alæ æneo-nigricantes. *Abdominis* latera stria alba notata.

3. C. gothicus niger hirsutus; elytris margine pallidis: apice scutelloque coccineis.

Fabr. Rhyng. 244. 20. *Lygæus* Ent. syst. 4. 180. 162. *Cimex* Linn. Fn. 966.

Mas et Fem. similes. *Corpus* oblongum, antennis pedibusque pilosis. *Elytrorum* margo exterior albidus; lunula ante oculos rufa. *Scutellum*, apex *elytrorum*, macula utrinque ad latera *thoracis* et stria utrinque ad latera *abdominis* coccinea. Membranæ et alæ æneo-nigricantes.

Not. Affinis præcedenti, cum quo habitat in pratis.

4. C. mutabilis obscure niger, supra fulvo pilosus, antennis immaculatis.

Habitat frequens in gramine.

Mas et Fem. Statura præcedentium, at semper paullo minor. *Corpus* totum obscure nigrum, supra fulvo-pilosum. *Antennæ* et *pedes* pilosa, tibiis spinosis. *Mas* stria media elytrorum longitudinali pallidiori; tibiis testaceis varians.

Not. Feminæ perfecte explicatæ rariores sunt; at larvæ, corpore crasso obtuso, elytris abbreviatis frequenter, etiam copulatæ, occurrunt. Pilositas corporis contactu cito deteritur.

5. C. bifasciatus ater, antennarum basi pedibus et elytris testaceis: strigis duabus transversis albis.

Capsus Fabr. Rhyng. 242. 7. *Lygæus* Ent. syst. 4. 177. 152.

Cim. clavatus Linn. Syst. Nat. 2. 729. 97.

Habitat non frequens in Alnetis. Esperoed.

Mas et Fem. Antennæ (viventis) testaceæ, articulo secundo versus apicem incrassato nigro, tertio ad basin albo. *Corpus* nigrum nitidiusculum. *Elytra* antice testacea, postice brunnea, strigis 2 albis. *Membrana* et alæ æneo-nigricantes. *Pedes* testacei; tibiis subspinosis.

Not. A *C. triguttato* et structura corporis crassiori et colore antennarum diversus.

6. C. 4 maculatus niger, elytris pallidis: interne, macula media obliqua, punctoque apicis nigris; tibiis luteis.

Habitat in Westrogothia, a D. Gyllenhal detectus.

Mas. Magnitudo Lyg. arbustorum. *Antennæ* nigræ subspinosæ, articulo secundo subfusiformi. *Corpus* nigrum elytris pallidis. Margo interior elytrorum et macula media magna obliqua sunt nigra; punctum quoque terminale minutum nigrum. *Membrana* æneo-nigricans. *Alæ* cærulescunt. *Femora* nigra, postica incrassata, antica apice et tibiæ subspinosæ lutea.

Not. Rarior forte occurrit, nec nisi unicum vidi marem; femina autem in Museo D. Gyllenhal quoque adest.

7. C. magnicornis niger, supra aureo-pilosus; antennarum articulo secundo fusiformi nigro, ultimis setaceis albis.

Habitat non raro in P. Abietis. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. Magnitudo vix praecedentis. Affinis C. spissicorni, sed longe minor et alius. *Corpus* nigrum, pedibus subpallidis. *Antennæ* basi nigræ, apice albæ, articulo secundo oblongo crasso. *Elytra* in exsiccatis fusca l. brunnescentia aureo-pilosa. *Membrana* et alæ infuscatæ metallice nitentes. *Femora* postica incrassata! *Tibiæ* spinosæ.

Not. A C. mutabili corpore minori et structura coloreque antennarum mox distingvitur.

Sect. 2. *Corpore elongato, angustato.* *(alati.)*

8. C. flavo-maculatus niger nitidus, elytrorum maculis 2 albidis: postica puncto terminali nigro.

Capsus Fabr. Rhyng. 247. 30. *Lygæus* Ent. syst. 4. 182. 169. *Cimex* De Geer Ins. 3. 194. 134.

Mas et Fem. similes. *Antennarum* artic. primus flavus, ultimi albi. *Elytra* antice externe et macula apicis alba (in exsiccatis flava): puncto terminali nigro. *Membrana* et *alæ* æneo-nigricantes. *Pedes* pallidi vel lutescentes.

Not. Corpus molliusculum, longitudine C. gothici, at angustius. Femina perfecte explicata raro mihi obvia fuit, larva autem sæpius visa, antennarum articulo secundo incrassato prædita. Mas sat frequens, antennarum articulis omnibus linearibus instructus.

9. C. agilis niger nitidus, thoracis margine antico et postico, scutelli apice elytrisque flavis.

Capsus Fabr. Rhyng. 247. 31. *Lygæus* Ent. syst. 4. 182. 170.

Cimex histrionicus Linn. Syst. Nat. 89.

Mas et Fem. similes. Statura linearis elongata. *Antennarum* articulus primus testaceus, ceteri nigri, sublineares. *Elytra* (viventis) basi nigra, hinc pallida: apice diaphano flavo, puncto terminali nigro prædito. *Alæ* æneo nigrescunt. *Membrana* puncto et nervis albis instructa. *Pedes* flavi, tibiis muticis.

Not. Hospitatur haud frequens in pratis. Structura ad Lyg. striatum fere accedit, at multo minor et angustior. Hujus Generis videtur.

10. C. umbratilis niger, elytris flavolineatis apice fascia alba.

Capsus umbratilis Fabr. Rhyng. 243. 12. *Lygæus* Ent. syst. 4. 178. 155. synonymo Linn. delendo.

Mas et Fem. Corpus (exsiccati) subtus nigrum nitidum, pedibus ferrugineis, tibiis subspinosis. *Caput* et *thorax* nigra vel fusca. *Antennæ* basi ferrugineæ. *Elytra* pallida, antice inprimis striata nervis albis et interstitiis nigris: fascia ante apicem alba.

Not. Magnitudo Caps. flavomaculati. Specimina a Nob. D. Gyllenhal mecum communicata, in Pinu sylvestri Westrogothiæ obvia. Articulus secundus antennarum versus apicem in femina crassior.

11. C. 3 guttatus niger elytris brunneis: fasciis duabus albissimis.

Cimex Linn. Syst. Nat. 2. 729. 94.

Mas. Statura longiuscula, linearis, corpore nigro, glabro. *Antennæ* fuscæ. Fascia elytrorum anterior e duabus maculis, quarum exterior major, et posterior una tantum macula in utroque elytro constat. *Pedes* testacei. *Alæ* æneo-albæ.

Not. In pascuis aridis ad radices graminis capitur. Femina nondum a me visa.

12. C. *virens*, viridis supra pilosus, thoracis antico antennisque fuscis; pedibus testaceis.

Habitat in Westrogothia.

Mas. Longitudo C. mutabilis sed multo angustior. *Antennæ* fuscæ vix incrassatæ. *Thorax* antice nigricans, postice viridis. *Elytra* viridia, pilosa. *Abdomen* supra nigrum. *Pedes* toti testacei tibiis spinosis.

Not. Detectus a Nob. D. Gyllenhal, et ad me missus. *Femina* nondum visa. Color elytrorum viridis in exsiccatis optime conservatur.

13. C. *bilineatus* virescens supra pilosus pallidus; scutello fusco: margine utrinque pallido.

Mas et Fem. similes. Statura præcedentis. *Corpus* (exsiccati) totum virescens, supra pallidius, *elytris* distincte pilosis interne fuscioribus. *Thoracis* ruga ordinaria antica sæpius fusca. *Scutellum* in medio fuscum lateribus pallidis. *Abdomen* supra pedesque virescentia. *Membrana* et alæ æneo nitent.

Not. Sexus uterque perfecte explicatus, a Nob. D. Gyllenhal detectus. Color viventium mihi ignotus.

14. C. *caricis* antennis thoraceque nigris, elytris lividis interne fuscioribus; pedibus flavis.

Mas abdomine nigro.

Femina abdomine flavo supra nigro. *Antennæ* utriusque sexus nigricantes. *Caput* inter oculos pallidum. *Thorax* niger nitidus, antice biverrucosus. *Elytra* hyalina pallida, interne nigricantia. *Membrana* et alæ æneo nitent. *Pedes* flavi immaculati.

Not. Hospitatur in Caricibus in paludibus Westrogothiæ. D. Gyllenhal. Sexus uterque perfecte explicatus.

15. C. *decolor* griseo-virescens supra opacus, elytris hyalinis fuscioribus; scutello unicolore antice transversim impresso.

Habitat rarius cum sequente; in Scaniæ campis aridis. Esperoed.

Mas et Fem. Magnitudo C. bilineati. *Corpus* griseum l. virescens pedibus pallidis. *Thorax* antice angustior, cicatricibus duabus distinctis fuscis. *Scutellum* vel fuscum vel virescens, linea antica impressa. *Elytra* corpore longiora fusca hyalina (in femina testaceo-virentia) membrana alisque æneo-nitentibus.

Not. Differentia hujus specifica difficillime eruitur. A sequente tamen colore opaco et scutello distingvi potest.

16. C. roseus virescens elytris sangvineis: margine laterali albo.

Mas et Fem. Corpus virescens minutum, statura præcedentis duplo minori. *Caput* nigro maculatum. *Thorax* antice biverrucosus lineola media alba. *Scutellum* luteo pictum. *Elytra* interne sangvinea, externe albida. *Abdomen* supra nigrum margine flavum.

Not. *Mas* elytris semper magis brunneis et corpore obscuriore. *Thorax* et *scutellum* viventis sæpe virescentia. Colorem autem vividum post mortem amittit uterque sexus. In campo arenoso prope Kivik Scaniæ parcius occurrit.

Thorax in *C. roseo* æquali latitudine; in *C. decolore* antice paullo angustior. *Antennæ* in utraque Specie fere lineares, non incrassatæ.

18. C. collaris pallescens, thorace angustato; collari gibbo duplicato; elytris membranaceis; femoribus nigro-punctatis.

Mas et Fem. Frons, vertex, thoracis latera puncto uno alterove nigra. *Thorax* angustatus, antice collari duplici elevato glaberrimo. *Oculi* nigri. *Elytra* hyalina, puncto ante apicem et nervo nigris, in femina vix conspicuis. *Abdomen* nitidum pallidum, in mare supra nigrum. *Antennæ* et *pedes* pallida, femoribus

subtiliter nigro-punctatis. *Membrana* et alæ æneonitent.

Not. Captus in locis paludosis prope Kinnekulle Westrogothiæ a D. Gyllenhal, et in Foromark Roslagiæ in Alnetis juxta flumen crescentibus a me Anno 1799 mense Aug. visus, tamen tunc temporis non rite examinatus. Vivum igitur accuratiori examini subjicere oportet.

Sect. 3. *Subapteri.*

18. C. **ambulans** corpore nigro nitido; elytris Maris griseo-membranaceis subpilosis, pedibus albis.

Mas niger nitidus. *Antennæ* apice setaceo albo. *Elytra* margine inprimis subpilosa, margine interiori, puncto interdum nervisque ante apicem fuscis. Nervus lateralis pallidus. *Oculi* ferruginei. *Caput* et *thorax* glabra nitidissima. Abdomen viventis nigro-virescens margine supra rufescente, exsiccati nigrum vel rufescens. *Pedes* albi tibiis muticis.

Fem. aptera nigra nitida, elytris abbreviatis coriaceis, pedibus pallidis; antennis nigris apice capillari albo.

Not. 1. Habitat valde frequens in paludosis sylvæ Esperoed in fine mensis Julii. Femina in humo ad radices arborum crebro ambulans, cum mare alato sæpissime in copula inventa fuit. Alatam vero, in vasculo vitreo e pluribus immissis, et diu in gramine asservatis, nullam videre mihi contigit. Femina hæc habitu ad feminam Capsi mutabilis, nondum explicatam, prope accedit, at plus triplo minor.

Not. 2. *Mas* elytris nigricantibus basi puncto ferrugineo et apice ante membranam fulvis; antennis apice pedibusque pallidis. An hujus Speciei? Differt inprimis nervis elytrorum ante apicem vix conspicuis; horum autem loco apex fulvus interdum conspicitur. Forte cum *Lygæo mutabili* conjungendus? In Urtica dioica obvius.

19. C. **rufifrons** niger nitidus capite rufo; antennis pedibusque pallidis.

Fem. aptera, nigra, capite rufo, oculis nigris exsertis. *Rostrum* et *pedes* albida. *Antennæ* albæ, basi primi articuli et basi et apice secundi nigræ. *Thorax* æquali latitudine, convexus, capite fere duplo longior. *Elytra* abbreviata, convexa.

Not. Hospitatur in gramine pratorum humidorum, mense Julio. Specimina mense Augusto et Septembri capta aptera quoque fuerunt. *Mas* nondum cognitus.

20. C. **Pteridis**, apterus, corpore nigro ano albo; elytris convexis pallidis.

Mas et Fem. similes. *Corpus* nigrum nitidum. *Antennæ* elongatæ, basi albæ apice nigræ. *Vertex* niger. *Thorax* pallidus, *collari* nigro. *Scutellum* et *elytra* pallida; membrana nulla. *Pedes* toti albi.

Not. Minimus est inter Species Capsi, et distinctus. Genitalia hujus generis. Captus in Pteride a Nob. D. Gyllenhal.

C. **abietis** Fabr.	extant in Genere *Lygæi*.
C. **unifasciatus** F. *Lyg.* semiflavus Wolff.	
C. **flavovarius** F. . . .	

A L Y D U S.

Rostrum inflexum, thorace brevius. *Labium* porrectum, rotundatum, setaceum, annulatum. *Antennæ* 4-articulatæ: articulis æqualibus. *Fabr.*

1. A. calcaratus fuscus, abdomine sangvineo, femoribus posticis sexdentatis.

Fabr. Rhyng. 251. 15. *Lygæus* Ent. syst. 4. 162. 94. *Cimex* Linn. Fn. 968.

Not. Inter majores Sveciæ Cimices numerandus. Unicum modo Marem exsiccatum possideo, corpore piloso; abdomine subtus æneo-nigro, supra sangvineo, Elytris griseis, impresso-nigro-puuctatis; membrana maxima, fusca, nervis crebris instructa.

M I R I S.

Os rostro inflexo. *Vagina* 4-articulata: articulo primo compresso, membranaceo, quarto subcrassiori.

Antennæ setaceæ, ante oculos insertæ. *Fabr.*

Species nostræ, structura et habitu similes, a Lygæo recedunt *antennis* corporis fere longitudine: articulo primo valido, crasso, tereti; et *tibiis* pilosis, minime spinosis. *Corpus* elongatum, attenuatum, molliusculum. *Structura* genitalium ut in Lygæo. *Victus* in gramine pratorum, ubi larvæ haud raro obviæ sunt.

Not. Antennæ 4-articulatæ. *Thorax* elongatus magisque compressus quam in Lygæo. *Tibiæ* semper pilosæ; hinc ratio, ob quam species quædam, ab Ill. Fabricio hic relatæ, in Lygæo jure sint collocandæ.

1. M. dolabratus flavescens pilosus nigro variegatus; capite supra litura antice rotundata postice cruciformi nigra.

Miris abbreviatus Wolff. Cim. 3. 116. T. 11. f. 110. Femina.

Cimex dolabratus Linn. Fn. 959. verus. *Miris lateralis* Fabr. Rhyng. 254. 3. Wolff. Cim. 3. 115. t. 11. f. 109? mas hujus speciei.

Habitat frequens in arvis et pratis, mense Augusto et Septembri.

Mas et Fem. *Corpus* pilosum flavo nigroque variegatum. *Antennæ* et *pedes* fusca, hirsuta, femoribus plerumque nigropunctatis, tibiis pilosis. *Abdomen* flavescens, subtus linea ventrali et laterali utrinque nigra, supra variegatum. Caput signo ♀ verticis nigro in utroque sexu notatum, speciem optime distingvente. *Thorax* maculis 2 oblongis late nigris. *Elytra* interne fusciora, vel lutescentia, margine flavo. *Scutellum* apice flavum. *Membrana* et alæ nigricant.

Pupa femina: elytris abbreviatis, abdomine supra et subtus in serie nigro-punctato; litura capitis nuper allata. Haud raro copulatur.

Not. Maris elytra interne sæpius fusco-brunnea. Pili hujus speciei, inprimis in antennis pedibusque, densiores sunt, quam in specie sequente.

2. M. ferrugatus virescens pilosus, capite supra litura

nigra, antice rotundata postice non cruciata; elytris pallide ferrugineis.

Miris dolabratus Fabr. Rhyng. 253. 1. Ent. syst. 4. 183. 1. forte.

Habitat cum præcedente non infrequens.

Mas et Fem. Habitus et magnitudo *M. dolabrati*. Antennæ rufescentes, nigro-hirsutæ. *Caput* signo ♀ in vertice notatum. *Thorax* subnudus, flavus, maculis 2 oblongis brunneis. *Scutellum* flavum vel fuscum: lineola disci transversim impressa. *Elytra* obsolete ferruginea, membrana et alæ nigricantes. *Corpus* subtus virescens, lateribus sæpe ferrugineis. *Pedes* pallidi hirsuti, femoribus nigronebulosis. *Larva* elytrorum rudimento, magis rufo picta; abdomine subtus lineis tribus sangvineis.

Not. Color post mortem mutatur, at pictura verticis nigra speciem facile distingvit. Præcedente minus hirsutus est.

3. M. longicornis viridis subnudus thorace læviusculo impunctato: lateribus elevatis; femoribus muticis.

Habitat in Westrogothia. D. Gyllenhal.

Mas et Fem. Statura et magnitudo præcedentium. *Antennæ* totius corporis longitudine, articulo primo subhirsuto, ceteris nudis, fuscis. *Corpus* (exsiccati) totum viride nudum. *Thorax* vix impresso-punctatus, margine tamen distincte elevato, et lineola media elevata per scutellum transeunte instructus. *Elytra* immaculata. *Pedes* mutici, nec nisi brevissime hirsuti.

Not. A ceteris distinctus videtur thoracis lateribus paullo elevatis, ejusque superficie læviuscula vix impresso-punctata. Antennæ quoque longiores. A M. ruficorni magnitudine et colore antennarum distingvitur.

4. M. lævigatus exalbidus, antennis basi tibiisque hirsutioribus; thorace punctulato, femoribus muticis.

Miris Fabr. Rhyng. 253. 2. Ent. syst. 4. 184. 2. *Cimex* Linn. Fn. 958.

Juxta agros Scaniæ copiose occurrit mense Augusto et Septembri.

Mas et Fem. Statura priorum. *Corpus* nudiusculum, pallide griseum vel testaceum, vel virescens, macula pectoris sæpe nigra opaca. *Antennæ* pilosæ, ad basin magis hirsutæ. *Thorax* impresso punctulatus, maculis sæpe 2 oblongis obscuris, vel postice transversim fuscior; lineola media elevata pallidiori, scutellum quoque transeunte. Thoracis margo minime elevatus. *Abdomen* sæpius supra nigrum, subtus pallidum, lineis plerumque lateralibus sangvineis, in exsiccatis sæpissime evanescentibus. *Elytra* corpori interdum concolora, membrana et alis æneo-nitentibus. *Pedes* pallidi; femoribus sæpe nigro-punctatis posticis, non spinosis; tibiis distincte hirsutis.

Larva rudimento elytrorum pallido, lineis lateralibus subtus et supra abdomen læte sangvineis.

Varietates hujus Speciei:

α. pallescens lineis abdominis lateralibus sangvineis vel nullis. *Mas* et *Fem.*

β. grisescens elytris interne fuscioribus substriatis, margine albido; abdomine subtus lineis ventrali et

lateralibus mox nigro-punctatis, mox fuscis, mox nullis. *Mas.*

γ. lutescens elytris pedibusque concoloribus; abdomine supra et macula pectoris nigris; (femoribus rarius nigro-punctatis.) *Fem.*

δ. virescens elytris interne pallidioribus; antennis apice et plantis rufis. *Fem.*

Not. Color viridis post mortem sæpe pallescit vel lutescit. A præcedente differt impressione et lateribus thoracis etc., a sequente femoribus posticis non spinosis.

5. M. calcaratus virescens vel pallidus, thorace confertim punctulato; femoribus posticis bispinosis.

Habitat cum præcedente.

Mas: pallescens, antennis et pedibus subpilosis, femoribus posticis fusco-punctatis: apice subtus spinis duabus, postica breviori armatis.

Variat et *thorace* lineis 2 latioribus fuscis, vel macula postica transversa nigra, et *abdomine* pallido vel fusco.

Fem. virescens, antennis pedibusque subpilosis, femoribus posticis fusco punctatis bispinosis, antennis apice et plantis rufis.

Corpus subtus viride, elytris totis concoloribus.

Miris virens Fabr. Rhyng. 254. 7. Ent. syst. 4. 185. 6. *Cimex* Linn. syst. nat. 2. 730. 102. forte.

Convenit uterque sexus armatura femorum posticorum; lineola thoracis scutellique media subelevata; dorso abdominis et macula pectoris opaca nigris; membrana et alis æneo-albis.

Not. Cum M. lævigato facillime confunditur, nisi spinas femorum posticorum, a Nob. D. Gyllenhal primum observatas, consideraveris. — Color feminæ viridis, non nitidus, post mortem quoque asservatur. Dantur forsitan varietates aliter coloratæ, a me nondum visæ. Pilositas antennarum tibiarumque in hac non aliter ac in specie antecedente adest.

6. M. erraticus nigricans, thorace læviusculo albo-striato scutelloque fuscis; elytris margine pallidioribus, femoribus muticis.

Cimex erraticus Linn. Fn. 961. *Miris hortorum* Wolff. Cim. 4. 160. t. 16. f. 154.

Habitat in umbrosis Westrogothiæ rarior.

Mas. Longitudo fere præcedentium, at angustior. *Corpus* nigricans, antennæ et pedes subpilosi, lividi, elongati. *Thorax* niger margine et stria disci unica vel tribus albis. *Scutellum* nigrum, lineola media alba vel nulla. *Elytra* interne longitudinaliter fusca. *Membrana* parum infuscata. *Alæ* æneo-nitent.

Fem. in Musæo Gyllenhalii quoque asservatur.

Not. Thoracis puncta impressa obsoleta sunt hac in specie; sed in M. lævigato distinctiora. Color viventis M. erratici mihi ignotus.

7. M. holsatus exalbidus, antennis nudis, femoribus muticis; thoracis lineis duabus elytrorumque margine interiori fuscis.

Miris Fabr. Rhyng. 254. 4. Ent. syst. 4. 184. 4.

Mas et Fem. Corpus exsiccati subtus exalbidum, pectore concolore. *Abdomen* supra nigrum, margine lutescente. *Thorax* pallescens, subpunctulatus, maculis

oblongis late nigris. *Elytra* virescentia vel pallida, interne longitudinaliter fusciora. *Antennæ* et *pedes* pallida. *Femora* mutica, obsolete fusco-punctata. *Tibiæ* pilosæ. *Alæ* æneo-nitent.

Not. Præcedente brevior et robustior. An rite declaratus? Vivum non vidi.

8. M. ruficornis viridis, antennis nudis plantisque rufis.

Habitat sat frequens in arvis prope Kivik Scaniæ mense Julio et Augusto.

Mas et Fem. similes. Species omnino distincta, e nostratibus minima. *Corpus* lineare, viride, antennis rufis non hirsutis. *Thorax* punctatus, linea media elevata vix ulla. *Elytrorum* (in vivis) margo albidior. *Tibiæ* subnudæ, plantis rufis. *Alæ* viridi nitent.

Not. Statura præcedentium, at longitudo Lyg. pabulini, multo angustior. Copulatum sæpe vidi. Larva imagini similis, elytris alisque nullis.

9. M. ferus griseus, thorace antice interrupte rugoso: linea media longitudinali femorumque maculis transversis fuscis.

Miris Fabr. Rhyng. 255. 11. Ent. syst. 4. 185. 10. *Cimex* Linn Fn. 962. adultior, pallidior.

Var. β. elytris subcompletis, alarum rudimento.

Miris vagans Fabr. Rhyng. 255. 12. Ent. syst. 4. 185. 11. junior, fuscior.

Mas et Fem. similes. *Antennæ* subhirsutæ, tenues, testaceæ. *Supra* griseus. *Thorax* angustatus, antice interrupte rugosus, linea media fusca. *Elytra* grisea, ner-

vis elevatis et punctis aliquot nigris: membrana albida, fusco-nervosa. *Alæ* albæ. *Abdomen* subtus vel griseum immaculatum, vel testaceum lineis fuscis, pube brevissima aurea obtectum; supra nigrum, margine testaceo. *Femora* antica crassiora, transversim fusco-maculata, postica longiora fusco-punctata. *Tibiæ* hirsutæ.

Not. A conspeciebus statura quidem paullo discrepat, abdomine scilicet in utroque sexu versus anum dilatato, genitalibus feminæ magis profunde sitis, antennisque angustioribus. Gerri forsitan confinis est et conjungens. *Larvæ* a structura imaginis subsimili facile dignoscuntur.

M. abietis F. . . . .
pabulinus F. . . . .
striatus F. . . . .
pallens F. . . . . } extant in *Lygæo.*
ulmi F. . . . .
semiflavus Wolff. . . . .
longicornis Wolff. . . . .

GERRIS.

Os rostro brevi, subulato. *Labium* brevissimum, rotundatum. *Antennæ* filiformes, ante oculos insertæ. *Fabr.* Ent. syst.

Corpus attenuatum, elongatum, lineare. *Pedes* antici breves, validi; postici attenuati, longissimi. *Thorax* inæqualis, productus loco scutelli. *Victus* e rapina. Sexus differentia adhuc latet.

Not. Species, huic Generi in Ent. syst. Fabr. insertæ, in plura abierunt, in Syst. Rhyng. enumerata, genera. Notæ autem horum Generum, ad Species nostras relatæ, minus placent. Nec obstat specierum multitudo, quominus eas in unico Genere collocatas, sub certis sectionibus, si opus fuerit, redactas, examinare et determinare valeamus.

1. G. lacustris holosericeo-fuscus, thorace planiusculo elongato inæquali, postice subspinoso; elytris fusco nervosis.

Hydrometra Fabr. Rhyng. 256. 1. nigra, pedibus anticis brevissimis.

Gerris Fabr. Ent. syst. 4. 187. 1. *Cimex* Linn. Fn. 970. De Geer Ins. 3. 311. t. 16. f. 7.

Currit ubique frequens supra aquas stagnantes.

Descr. *Antennæ* filiformes 4-articulatæ: articulo primo longiori, ceteris subæqualibus. *Caput* parvum, ante oculos porrectum, *rostro* brevi inflexo, arcuato. *Thorax* elongatus, planiusculus, inæqualis, linea media elevata et nodis duobus postice in margine elevatis instructus. *Scutellum* thoraci coadunatum, convexum, marginatum. *Elytra* plana nervis validis fuscis. *Alæ*

æneo nitent. *Corpus* subtus fuscum fulvo vel albo sericeum. *Pedes* antici breviores, crassi, intermedii et postici longissimi filiformes, basi omnium pallidiori. *Anus* alterius sexus spina utrinque valida instructus, an femina? *Color* pro ætate diversus:

Majores supra brunnei, lateribus et nervis elytrorum fuscioribus, subtus fulvo-sericeo-nitentes; antennis pedibusque testaceis,

Minores supra nigricantes, thoracis abdominisque summo margine luteo; subtus albo-sericeo-nitentes, antennis fuscis, pedibus testaceis.

Not. Svetice *Braxenmygg* appellatur. Velocissime supra aquam cursitans, pube sericea siccitatem corporis retinet.

2. G. currens apterus fuscus, abdominis margine elevato fulvo nigro-punctato.

Fabr. Ent. syst. 4. 190. 22. *Hydrometra* Rhyng. 259. 12.

Præcedente minor. *Pedes* crassiusculi, femoribus posticis incrassatis, dentatis. *Abdomen* summo margine, et subtus linea lata luteis. An perfecte declarata?

Not. Inventus in Scania. Vita autem et metamorphosis pro specie stabilienda observari debet.

3. G. denticollis obscurus, capite basi dentato; abdomine flavo: subtus maculis utrinque obliquis nigris.

Insectum singulare a Nob. D. Gyllenhal prope Alingsås Westrogothiæ captum, mihique describendi et huic monographiæ inserendi gratia missum. Statura oblonga, magnitudine G. lacustris, at antice angustior. Supra

totus et pectus grisea, minime nitida. *Antennarum* articulus primus elongatus, crassior, subpilosus. *Caput* elongatum, teretiusculum, thoracis fere longitudine, oculis lateralibus in medio (ut in G. stagnorum) insertis. *Frontis* spina inter antennas porrecta, in cujus apice, oculo bene armato, spinulæ duæ conspiciuntur. Spinula ad basin antennarum utrinque extus quoque adest. Capitis basis distincte dentata, dentibus versus apicem thoracis vergentibus. *Thorax* postice dilatatus, antice angustior, capitis latitudine; supra planus, superficie tamen longitudinaliter 5-sulcata, sulco medio distinctiori. *Sternum* pro receptione rostri concavum, spina utrinque acuta antrorsum porrecta armatum. *Elytra* completa, submembranacea; *membrana* concolore magna, quæ tamen apicem abdominis non tegit. *Abdomen* ad basin latitudine thoracis, pone medium dilatatum, ano acuto, margine supero fusco, et maculis ventralibus utrinque obliquis nigris. *Pedes* subhirsuti? flavescunt, femorum apice nigro. *Femora* antica crassiora, breviora, postica elongata.

4. G. stagnorum nigricans, capite longissimo tereti; oculis lateralibus globo is in medio insertis.

Hydrometra Fabr. Rhyng. 258. 6. *Gerris* Ent. syst. 4. 188. 4.

Cimex Linn. Fn. 971. De Geer Ins. 3. t. 15. f. 24.

Totus nigricans, *pedibus* testaceis. Statura linearis et elongata, antice teretiuscula. *Antennæ* 4-articulatæ. Articulus primus brevis, crassior, tertius secundo plus duplo longior. *Caput* elongatum, teres, antice versus frontem incrassatum. *Oculi* globosi, in medio

utriusque lateris inserti. *Rostrum* tenue inflexum, (non arcuatum) longitudine capitis. *Thorax* paullo crassior, teres; cui pedes sunt inserti. *Abdomen* planiusculum, elytris alisque nisi rudimento a me nondum visis.

Not. Inventus in amne, haud procul a plantatione pini prædii Oertofta in Scania, sat frequens. In sicco rarior quoque occurrit lente procedens. Rostrum hujus Speciei aliter constructum atque in G. lacustri videtur.

5. G. vagabundus exalbidus, capite subrotundo: elytris membranaceis fusco-nebulosis.

Gerris Fabr. Rhyng. 262. 9. Ent. syst. 4. 192. 19. *Cimex* Linn. Fn. 972. De Geer Ins. 3. 332. t. 17. f. 1. 2.

Caput parvum, subrotundum, rostro arcuato brevi. *Antennæ* longissimæ, filiformes, geniculatæ, medio pedibusque fusco-maculatis. *Elytra* hyalina, tota fusco-nebulosa, et maculis fuscis irrorata. *Alæ* albidæ, immaculatæ.

Not. Antennæ 2-articulatæ? Rarior in sicco obvia est hæc species, culices sugens, tardeque sese movens.

6. G. erraticus exalbidus, capite subrotundo, elytris membranaceis albidis: maculis anticis et apicis fuscis.

Statura præcedentis, duplo minor. *Antennæ* in medio fractæ, et *pedes* quatuor posteriores, longissima, filiformia, fusco-maculata. *Thorax* subquadratus, inæqualis. *Pedes* antici breves incrassati. *Elytra* alba, postice nebulosa, macula ante medium majori fusca

nervo transverso albo divisa. *Abdomen* cinereum: margine pallide-maculato.

Not. In initio Veris in sicco occurrit rarior, nec nisi duo vidi specimina, tarde se moventia, pictura elytrorum et magnitudine a G. vagabundo tantum diversa. Speciem tamen dubiam existimo, usquedum plura et hujus et antecedentis exemplaria comparari et investigari queant. Sexum utrumque novisse juvabit. Forte hic Mas praecedentis.

7. G. tipularius testaceo-griseus; capitis cornu compresso porrecto, thorace postice elevato gibbo elytrisque impresso-punctatis.

Berytus Fabr. Rhyng. 264. 1. *Gerris* Ent. syst. 4. 192. 18. *Cimex* Linn. Fn. 973. Frisch Ins. 7. 28. t. 20.

Statura linearis elongata. *Corpus* subtestaceum impresso-punctatum. *Antennae* longissimae, fractae; Articulus *primus* elongatus, apice clavatus; *secundus* occulto armato e duobus constare videtur ita coadunatis, ut vix appareat articulatio. Ex his anterior est longior; *ultimus* brevis, fuscus, clavatus. *Frontis* cornu porrectum, compressum. *Thorax* marginatus, antice angustior, depressus, postice elevatus, inaequalis, carina media elevata. *Elytra* linearia, nervosa, punctata: membrana diaphana, in medio longitudinaliter fusco-nebulosa. *Pedes* antici et intermedii aequales, postici longissimi: femoribus omnibus apice clavatis.

Not. Parcius occurrit in gramine, excipulo captus. Nuperrime exclusus totus viridis.

8. G. clavipes testaceo-griseus, capitis cornu brevi, thorace plano elytrisque impresso-punctatis.

Berytus Fabr. Rhyng. 265. 2. *Gerris* Ent. syst. 4. 192. 20.

Statura præcedentis, minor. Difficillime distingvitur, nisi superficiem thoracis planam, et æqualem conspexeris, scutellumque in G. clavipede longius, linea tamen elevata dorsali, thoracem transeunte, instructum. *Rostrum* inflexum, non arcuatum. *Antennæ* fractæ, et *pedes* ut in Spec. antecedenti. *Clavæ* fuscæ. *Elytra* longitudinaliter striata.

Not. Brevitatem articuli primi antennarum in his Beryti speciebus non video. Articulum autem secundum in duos quasi divisum esse, evidenter in G. clavipede conspicitur. Habitat in gramine sat frequens.

REDUVIUS.

Rostrum breve, arcuatum.

Antennæ approximatæ fronti insertæ. *Fabr.*

Thorax (in nostris speciebus) bipartitus, lobo antico angustiori. Hinc a congeneribus facile distingvitur hoc Genus.

Corpus pilosum, validum, crassum; *capite* parvo, *rostro* brevi arcuato. *Tibiæ* pilosæ (non spinosæ) an semper?

Sexus differentia dignota.

Victus e rapina.

Not. Capitis rostrique structura eadem et similis atque in Gerri vagabuudo. Structura autem ani feminæ, a Lyg.

equestri, parum differens est. Articulatio antennerum aptius quam insertio, in Genere discernendo, adhiberi forsitan potest.

1. R. *personatus* antennis apice capillaribus, corpore subvilloso fusco.

Fabr. Rhyng. 267. 7. Ent. syst. 4. 194. 2. *Cimex* Linn. Fn. 492. De Geer Ins. 3. 281. t. 15. f. 7.

Antennæ et *pedes* imprimis pilosa. *Oculi* magni, compositi. *Corpus* fusco-brunneum.

Not. Raro occurrit hoc insectum, quod vivum nondum vidi. *Mas* in Collectione adest. *Larvam* Muscis victitare fertur. Cetera apud Auctores videbis.

2. R. *annulatus* niger, abdominis margine pedibusque sanguineis nigro-variegatis.

Fabr. Rhyng. 271. 24. Ent. syst. 4. 197. 16. *Cimex* Linn. Fn. 943. De Geer Ins. 3. 286. 26.

Thorax et *tibiæ* pilosa. *Antennæ* 5-articulatæ, vix pilosæ, articulo primo brevi, secundo elongato, ceteris brevibus, æqualibus. *Tibiæ* totæ sangvineæ.

Not. Feminam hujus Speciei in Collectione possideo.

3. R. *subapterus* fusco-griseus, femoribus albo nigroque annulatis.

Alatum prope urbem Westrogoth. Alingsås unicum invenit Nob. D. Gyllenhal.

MAS. *Corpus* antice, antennæ et pedes inprimis hirsuta. *Thorax*, ut in conspeciebus, bipartitus, antice angustior, rugosus, postice dilatatior, punctato-scaber. *Elytra* corporis longitudine, grisea, *membrana* magna, æneo-fusca. *Abdomen* subtus brunneum, nitidum,

margine obsolete albo-maculato. Colore femorum a præcedentibus dignoscitur.

Larva fusco-grisea, abdominis margine rufo pallidove maculato.

Cimex subapterus De Geer Ins. 3. 287. 27. t. 15. f. 10.

Reduvius apterus Fabr. Rhyng. 281. 72. Ent. syst. suppl. 546. 54.

Mas et Fem. *Antennæ* 5-articulatæ, articulo secundo pilis aliquot raris prædito. *Corpus* subtus pilosum pro ætate varians colore et pictura. *Majores* rudimento elytrorum instructæ opaco-griseæ, tibiarum apice rubro-annulato. In aliis *femora* pallida, annulis pluribus nigris prædita. *Minores:* thorace, pedibus, margine dorsoque abdominis æneo-nigro-maculatis. Hæ maculæ dorsales per lineam albam divisæ sunt.

Not. Majora Specimina hujus Insecti incompleti magnitudinem dimidiam R. annulati attingunt. Habitant sub lapidibus, et sub stercore exsiccato bovino et equino in pascuis Esperoed; copiam tamen magnam horum frustra quæsivi. Specimen hujus insecti completum, quod e Collectione Nob. D. Gyllenhalii vidi, magnitudinem inter larvas supra descriptas mediam habet.

* * *

Genera jam duo Linneana, magnam specierum copiam continentia, pro viribus elaborare et absolvere conatus sum. Monographiam *Cicadarum* in Actis Acad. Scient. Holmiæ A. 1805 et 1806 antea dedi. Restat igitur, ut reliqua Rhyngotorum Genera Faunæ Sveciæ Amicis descripta offerrem. *Notonecta* autem et *Nepa*, quæ locum inter Cicadam et Cimicem occupant medium, vix ullis, in Fauna Sv. Linn. antea incognitis, speciebus (præter unam vel alteram Notonectæ speciem?) adhuc locupletari possunt. Ad genera ultima quod attinet, quæ *Aphis*, *Chermes*, *Coccus* et *Thrips* salutantur, species novas easque non paucas illis inserendi occasionem non tantum autumo, verum etiam expolitionem specierum hactenus cognitarum valde necessariam esse contendo. Hæc insecta, corpore minuto et mollissimo sæpius prædita, ideoque transfigurationi post mortem semper obnoxia, more Rhyngotorum metamorphosin subire cognitum est. Certas quoque horum species certis insidere plantis, e quibus nutritionem hauriunt, vulgo creditur. Hinc plurimæ species, in Systema introductæ, nomen plerumque gerunt plantarum, in quibus obviæ fuerunt, omissa omni fere alia Speciei nota. Constat igitur, hasce species, non a nota quadam systematica, sed ab ipsis plantis, in quibus nuper deprehensæ fuerunt, cognosci et determinari posse. Verum enim vero, ejusmodi determinationem valde erroneam existimo; nam quasdam species non diversas a diversis plantis delectari et alimentum petere luculenter observatum est. Quasdam tamen Aphidum species certis plantarum speciebus præcipue et forsitan unice insidere non negatum volo. Neque reticendum est, oeco-

nomiam et metamorphosin horum generum non adhuc satis observatam fuisse, neque cognitam. Accedit, ut pro ætate et individua aptera et alata, vel alterius vel utriusque sexus obveniant, et mutationem coloris (sin structuræ partium) pro vario metamorphoseos statu subeant. Præcipuam igitur heic requiri scrutandi cupiditatem atque industriam, ut indagentur veræ species et stabiliantur, per se patet. Interest quoque inter colligendum, descriptionem vivi insecti facere, et specimina in diversis plantis occurrentia inter se comparare. Nec dubito, quin ejusmodi notæ, a structura, armis, vestitu et colore desumi possint, quæ faciliorem omnino methodum, in his Generibus tractandis, præbeant. In collectione, quam ipse comparavi, species dicto modo observatæ non nisi pauciores adsunt, adeo ut monographiam horum Generum diutius forte supprimere cogar. In his autem, ut et in ceteris, nisi obstent vires, quidquam ad Faunæ nostræ incrementum conferendi, mihi erit voluntas et studium.